Q. D. B. V.

DISSERTATIO
De
MOHATRA
CONTRACTU,

Qvam
Sub
PRÆSIDIO
CASPARIS ZIEGLERI,
J.U.D. Conſiliarii Elect. Saxonici & Facultatis Juridicæ Ordinarii,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Præceptoris ſui ac Promotoris ætatèm devenerandi.

Publicæ disqviſitioni ſubjicit
HENRICUS GREGORII,
Jtzehoâ Holſatus.

In Auditorio JCtorum, Horis conſvetis.

(*)

WITTEBERGÆ,
Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Cum DEO feliciter!

I.

VEtus eſt, & in omni ſcholâ multùm freqventata, maximis tamen & contortis ſæpè difficultatibus intricata eſt controverſia, qvousqve in Republica uſuras tolerare conveniat. Et verò nec ad hanc qvidem ut tranſeant, induci omnes poſſunt, cùm præjudicialem ſibi eam disqviſitionem, utrum omninò ferri aut tolerari debeant uſuræ, integram relinqvi, ſeq; de ſubſtantia ipſa audiri priùs oportere, qvàm de qvalitate diſputetur, acriter contendant nonnulli. Qvorum eqvidem ut hic habeatur ratio, & ut feliciores deinceps faciamus progreſsûs, ipſa monet cauſæ, qvam agimus, conditio.

II. Qvanqvam verò juſtitia non niſi una ſit, jura tamen, qvæ eam profitentur, aut id ſaltem affectant, non uniformiter ſemper ſe habent, nec habere propter gentis indolem poſſunt. Et propterea contingit ſæpè, ut, qvod hoc jure conſtituto licitum fuerit, alio planè ſit illicitum & prohibitum, præſertim in iis rebus, qvæ ex mero Legislatoris arbitrio & beneplacito pendent. In cæteris enim, qvæ ex naturali ratione dijudicantur, ſi diverſum qvid contineant leges, non tàm jus dari per eas, qvam impunitatem præſtari certum eſt. Qvia igitur non in civili tantùm, ſed Canonico etiam, ſed & divino inſuper & naturali jure exercitatus eſſe debet juris ſtudioſus, qvamprimùm de licito & illicito aliqva movetur controverſia, recurrendum ei erit ad ſua iſta principia, & ex iis ferendum judicium. Iſtud ergò, ut à nobis qvoqve præſtetur, qvando de uſuris qvæſtio eſt, etiam atqve etiam ſumus ſolliciti.

III. Juri naturali repugnare uſuras, poſt alios contendit Bachovius *in Treutl. vol. 2. diſp. 3. th. 1. lit. B.* argumentis tamen meo

 judi-

Digitized by Google

judicio non prorſus invincibilibus. *Primùm* enim id offendit, qvod non niſi in theſi qvæſtionem hanc agitari velit, cum tamen plurima aliàs inveniantur, qvæ indifferentia cùm ſint, bonitatem & malitiam ex applicatione demum imbibunt, de qvibus proinde, utrum bona an mala ſint, diſputare in theſi frivolum erit & fruſtraneum. *Deinde* jus naturæ propriè acceptum conſiſtere ait Bachovius in decretis puræ & ſimplicis rationis, neqve ad illud jura commerciorum aut contractuum pertinere. Prius illud ſuo loco nunc relinqvo; ſed poſterius ideò non ſatis placet, qvia decreta puræ & ſimplicis rationis non conſiſtunt & permanent in ideâ, ſed præcipuus eorum uſus in applicatione conſiſtit. Iſta autem applicatio fieri poteſt tàm ad ea, qvæ jure gentium introducta, qvàm qvæ jure civili inventa fuerunt, ut adeò nihil obſtet, qvò minus ex jure naturæ dirigantur commercia, utcunqve ea jure gentium cœpiſſe dicamus. *Tertiò* neqve illud ſatis expeditum eſt, qvod Bachovius rationi naturali etiam generalius pro æqvitate acceptæ, uſuras ideò convenire negat, qvia æqvitate nihil ſit ſimplicius, in uſuris tamen multum artificii imò avaritia & cupiditas hominum interveniat. Poſtqvam enim Bachovio propoſitum fuit, controverſiam hanc in theſi decidere, malè intexuntur ea, qvæ actiones hominum qvalificant. Sed neqve repugnant artificia juri naturali, & qvod arte fit, legibus naturalibus propterea non eximitur. Avaritiam autem & cupiditatem hominum, qvam cauſatur Bachovius, extraneum qvid eſſe, & uſurarum ſubſtantiam non ingredi, nemo non videt. Et vereor ego, ne hâc ratione Bachovius omnes in univerſum contractûs naturali rationi minùs convenire faciat, qvippe qvos plurima qvandoqve afficit cupiditas & habendi libido. Sed & avaritia illa & improbitas refrenari poteſt lege publicâ.

IV. Eqvidem propter ſolam carentiam rei mutuatæ nulla videtur juſtè peti poſſe uſura. Qvia enim mutuum citra traditionem & hinc natam carentiam perfici neqvit, reſtitutio autem rei eodem illicò momento ut fiat, qvo facta eſt traditio, natura mutui non admittit, non poterit aliter celebratum videri mutuum, niſi ut tantundem ſine acceſſione poſt aliqvod tempus reſtituatur. Et aſſentiri proinde neqveo Hugoni Grotio; qvi *lib. 2. de jur. bell. & pac. c. 12. n. 20.* indiſtinctè aſſerit, jus illud non niſi

poſt

Digitized by Google

poſt tempus certum reddendi pecuniam aut vinum eſſe aliqvid æſtimabile, & tale ſcilicet, propter qvod exigi poſſint uſuræ. Niſi enim longius aliqvod tempus intelligatur, ipſa natura mutui hoc reqvirit, ut inter dationem & reſtitutionem aliqvod tempus, nec exiguum id qvidem intercedat. Non enim alienantur nummi, qvi ſic dantur, ut ſtatim recipiantur *l.55.de ſolut.* Anton. Fab. *Cod. l.4.tit.24. def.27.* Menoch. *de arb. Jud. qvæſt. l.2. caſ.22.* Andr. Fachin, *l.2. contr.51.*

V. Qvod ſi verò Creditori interim, dum res penes debitorem eſt, aliqva ſe exhibeat opportunitas augendi rem ſuam familiarem, & debitor interpellatus in reſtituendo faciat moram, atqve hinc Creditori ſperatum commodum intervertatur, dubium non eſt, poſſe cæteris paribus à debitore tantum exigi, qvantum lucro ceſſanti reſpondere ex æqvo & bono viſum fuerit. Tum enim carentia pecuniæ non amplius ſola eſt, & nuda, ſed conjuncta cum eo, qvod Creditoris intereſt. Ubi tamen obſervant Moraliſtæ, ratione lucri ceſſantis non aliter licere aliqvid ſupra ſortem exigere, niſi adfuerit potentia proxima lucrifaciendi. Hanc enim, non potentiam remotam, eſſe precio æſtimabilem. Philipp. à S. Trinit. *in 2. 2. tract.2. diſp.8. q.78.* Et hic unus eſt caſus, qvo uſuras à debitore petere rationi naturali non repugnat.

VI. Alius eſt, qvando in manifeſto damno conſtitutus eſt Creditor. Fingamus, pecuniâ mutuo datâ opus habere Creditorem ad reficiendas ædes ruinoſas; ejus autem reſtitutionem qvod opportuno tempore conſeqvi neqviverit à debitore, ædes interim collapſas. Nunqvam ego hîc dixero, repugnare rationi naturali, ut qvid à debitore exigatur ultra id, qvod mutuo accepit. Ut enim ego in damno verſer, & tu ex re meâ, per qvam damnum avertere potuiſſem, lucrum ſentias, nulla ratio jubet. Qvin potius naturalis æqvitas dictitat, ut qvi alteri dat efficacem cauſam damni, debeat ei compenſationem.

VII. Sed de his duobus caſibus nulla fortè lis agitur, cum præſertim id, qvod ita debetur, nomine τοῦ intereſſe, ſive ejus, qvod intereſt, plerumqve appellari ſoleat. Ita enim definitur id, qvod intereſt, qvod ſit damnum illatum & lucrum interverſum ob adverſarii moram vel factum, præſtans nobis jus agendi con-

Digitized by Google

tra eundem, ad reſarciendum id, qvod hâc ratione nobis abeſt. Intereſſe autem hoc multis modis diſtingvi ſolet ab uſuris, de qvibus Dn. Carpzovius *lib.4. reſponſ.50.* ut proinde id, qvod intereſt, ſi licitum fuerit, non propterea uſura qvoqve licita dici qveat. Et fateor qvidem, ita plerumqve diſterminari iſta à ſe invicem debere, ſi præſertim uſuram non aliter ſpectes, qvàm ut lucrum ex præcedente conventione debitum; verùm qvia Doctores uſuram qvandoqve generaliter definiunt, qvod ſit, qvicqvid ſorti accedat, & multa inſuper de uſuris compenſatoriis congerunt, & de uſuris ut intereſſe petitis ſæpè verba faciunt, ſaltem in eorum gratiam iſta adſcribere operæ precium viſum fuit.

VIII. Sed enim videamus, numqvid caſus dari aliqvis poſſit, qvo uſuræ licitè peti qveant, extra reſpectum ejus, qvod intereſt. Sanè ſi qvis mutuum acceperit, & magnum inde fecerit lucrum, æqvum & juſtum eſt, ut participem ejus lucri faciat Creditorem, à qvo cauſam habet. Non facit ergò extra aut præter rationem naturalem Creditor, ſi in eventum lucri ſecuturi ſe qvoqve in partem admitti ſtipulatus fuerit, qvanqvam inter ſe disſentiant Moraliſtæ, uti videre licet apud Franciſc. Tolet. *in inſtruct. Sacerdot. l.5. c.33. n.2.* Et non ineptè diſputat Carolus Molinæus *de uſur. n.10.* qvod Creditor mutuando det cauſam propinqvam & efficacem, h. e. ut vulgò dicunt, ſine qvâ non, hujus lucri, ut adeò ipſum lucrum dare videatur, nec injuſtè igitur aut iniqvè partem lucri ſaltem in eventum lucri ſibi ſtipulari poſſe. Ex qvo infert porrò, qvia debitor ex mutuo cum hoc onere (factæ ſcilicet promisſionis de lucro communicando) majus compendium refert, qvàm ſi caruiſſet mutuo, mutuum etiam cum hoc onere in debitoris cedere commodum, & non in ejus incommodum.

IX. At inqvis hâc ratione ſocietas qvædam contrahitur, cum alter pecuniam conferat, alter operas, ut inde in partes lucri veniat uterqve *l. 1. C. pro ſoc.* talis verò ſocietas tantum abeſt, ut improbari qveat, ut potiùs omnibus modis ſvadeatur etiam ab illis, qvi uſuras maximè inſectantur, & reprehendunt. Chemnic. *in LL. Theol. tit. de paupert.* Ego verò per ejusmodi conventionem ſocietatis perfici contractum non credam priùs, qvam ex intentione contrahentium, tùm ipſo qvoqve negocio, qvod agitur, id

appa-

apparuerit. Sanè ſi partes mutuum contrahere animum induxêrunt, utcunqve verba externa alii qvoqve contractui adaptari poſſint, prævalebit intentio *l.7. §.12. ff. de pact.* Gœdd. *de contrah. ſtipul. c.1. n.67.68.* Deinde pecunia ab uno ſocio integra & in ſolidum collata non ſit communis, Gail. *2. obſ.24. n.6.* Et propterea ſi damnum in eâ datum fuerit, non ad utrumqve id ſpectat ſocium, niſi qvatenus circa eam negociari amplius non licet, ſed ad eum tantùm, qvi contulit *l.29. §.1. ff. pro ſoc.* Franzk. *ad eum tit. n.91.* Petr. Sanz. Morqvech. *de bonor. diviſ. l.2. c.3. n.11.* At in mutuo hoc agitur, ut res mutuò data in dominium tranſeat mutuatarii *l.2. §.2. ff. de R.C. pr. Inſt. Q.M.R.C.O.* & per conſeqvens ad eum qvoqve omne pertinet periculum, qvod in re mutuo datâ qvoqvo modo contigerit *§.2. Inſt. Q.M.R.C.O.* Non igitur illicò, ſi qvis pecuniam dederit & partem lucri ſibi ſtipulatus fuerit, ſocietatem iniiſſe cenſendus eſt, niſi latè ſocietatem pro qvocunqve duorum in re aliqvâ concurſu accipias.

X. Id tamen, qvod de ſocietate dictum eſt, novum videtur argumentum præbere noſtro de uſuris inſtituto. Si enim mihi in partem lucri licet venire tùm, qvando ſors & pecunia mea manet, uti fieri in dictâ ſocietatis ſpecie ſolet, qvidni liceat eo qvoqve caſu, & meliore qvidem jure, qvando mea non manet & in dominium tranſit alterius, qvod fit in mutuo. Scilicet plus videtur hâc ratione conferri in mutuatarium, qvàm in ſocium, & ab illo igitur potius, qvàm ab hoc acceſſionis peti poterit retributio. Nec eſt, qvod excipias, rem ſuo qvamqve fructificare domino, & hic igitur ad mutuatarium, illic ad eum, qvi pecuniam contulit fructûs aut lucrum jure pertinere. Id enim (qvanqvam argutiam meram vocet Carolus Molinæus *de uſur. n.10.*) ambabus concedere poſſum manibus, ſi regulariter rem æſtimemus, & ſi nihil aliud actum fuerit inter contrahentes. At qvia unusqvìsqve dum contrahit, legem conventioni dicere poteſt, ſi in contrahendo mutuo inter Creditorem & debitorem convenit, qvod illi pars de lucro cedere debeat, nihil videtur ab ratione naturali alienum conveniſſe. Add. Conr. Summenhart *de contract. q.23. §. ad tertiam diceretur.*

XI. Qvia autem in eventum tantùm lucri diximus Creditorem ſibi aliqvid ultra ſortem ſtipulari poſſe, conſeqvens

eſt,

Digitized by Google

eſt, ut lucro nullo comparente tota ea evacuetur ſtipulatio. Eſt enim talis conventio ſimilis ei, qvâ qvis ſibi ſtipulatur fructus ex certo fundo naſcituros, qvippe qvæ conditionem, ſi naſcantur, implicat. Si igitur nihil natum fuerit, nihil debebitur, *l. 73. ff. de V. O.* Eodem modo, ſi nihil in lucro fuerit, nihil erit, qvod Creditori dari poterit. Ut verò, ſi aliàs ſolvendo fuerit debitor, damnum qvoqve in ipsâ ſorte contingens ferat Creditor, nulla ratio cogit. Qvia enim arbitrio & diſpoſitioni debitoris relinqvitur pecunia aut res mutuo data, culpâ ejus ſæpè fit, ut damnum ſentiat. Culpæ autem alienæ pœnam ut luat Creditor, juſtitia commutativa non patitur.

XII. Qvando jam de lucro communicando convenit, multis adhuc res implicatur difficultatibus, ut definiatur, qvota pars lucri cuilibet cedere debeat. Ut enim dimidia ſemper creditori applicetur, asſerere non auſim. Tanta enim qvorundam hominum eſt induſtria, ut ſi tali alicui res committatur, longè felicius ea & majore cum fructu procedat, qvàm ſi centum alii eandem ſuſceperint. Sunt alii aliis diligentiores, majoremqve rerum creditarum gerunt curam; feliciores alii circa res expediendas, ut qvaſi aliud agendo maximas ſibi comparent fortunas. Talia plura niſi probè attendantur, fieri facilè poteſt, ut iniqvè inſtituatur diviſio, & non ex proportione debitâ. Qvod ſi cum Mercatore res agitur, ea eſt negociationis hodiernæ conditio, ut qvid in ære habeat, qvantumqve lucri aut damni ex mercimoniis ſentiat, nemo facilè ediſſerat. Qvin ſolent nonnulli de facultatibus ſuis amplius, qvàm in his eſt promittere, & volunt plerumqve ditiores, qvam revera ſunt, videri. Qvo caſu, qvia de lucro percepto exigi à ſe rationes nolunt, fieri poterit, ut largius promittant, qvàm facultates ferre qveant. In his igitur omnibus ne id qvod juſtum eſt intervertatur, non repugnat rationi naturali, ſi certum aliqvid ab initio ſtipuletur Creditor, qvod lucri ſubeat partem, rigidè aliàs & ad pulviſculum computandi; ſatiusqve tùm erit lucrum ab initio qvaſi taxatum habere, qvàm tot irretiri difficultatibus. Sed erit tamen tùm nihilominus integrum. Debitori probare, lucrum perceptum tantum non fuiſſe ut ſummam promiſſam exæqvet, audiendumqve eum exiſtimo, ſicubi remisſionem petierit.

XIII. Hoc

XIII. Hoc obſervato non omninò abſurda aut iniqva erit ſententia Stephani Baunii Theologi Moraliſtæ, qvam refert Ludovicus Montaltius *Epiſt. provincial.* 8. ſi tamen verbis, qvam illic tribuere videtur, demas virtutem; qvanqvam ut à Canoniſtis ea probetur impetrari fortè neqveat. Verba ejus ita ſe habent: *Is à qvo mutuo petitur pecunia, ſic reſpondebit: Non eſt mihi pecunia, qvam mutuo dem, eſt tamen qvam licitâ ratione collocem, ut ex eâ legitimum mihi redeat lucrum: qvamobrem ſi pecuniam eâ conditione velis accipere, ut ex eâ in commune negocieris, fortaſſè adduci poſſum, ut iſto pacto dem: veruntamen, qvia de lucro faciendo difficile convenitur, ſi tu mihi certum aliqvid aſſignare volueris, facilius inter nos contrahemus, ac tibi ſtatim pecuniam numerabo. Iſtâ viâ, niſi fallor, pleriq; ſeculares, qvi fœnoribus juſtam in ſe DEI indignationem inſtigant, cum ſalute animæ ſuæ pulchrè, honeſtè, licitè pecuniam qværere poſſunt.* Inducit hîc, qvi pecuniam habet, alterum, ut mutato genere contractûs ſocietatem potius ineat, qvam mutuo accipiat. At qvando inter ſocios agitur, ut certa qvantitas ex causâ lucri non qvidem ſub nomine qvotæ, ſed per nomina numeralia ad illum pertineat, qvi pecuniam contulit, & reſiduum lucri ad illum ſpectet, qvi operam præbet, non eſſe ſocietatem contractam, ſed contractum mutui & fœnoris, jam diu definita res eſt. Vid. Franciſcus Card. Mantica *lib.6. lucubrat. Vatican. tit.7. n.3.* Gomez. *tom.2. reſol. c.5. n.5.* ut adeò blandiri ſibi de novo aliqvo invento neqveat Baunius. Arbitror tamen etiam in causâ mutui non omninò iniqvam eſſe ſententiam Baunii, ſuppoſitis ſcil. iis, qvæ ante dixi, & præcipuè, qvod conventio non niſi in eventum lucri percepti efficax eſſe debeat.

XIV. Si enim iniqvum non eſt, in contractu ſocietatis qvotam lucri ſibi ſtipulari eo caſu, qvo lucrum percipietur, Mantica *d.l. n.2.* poſito etiam, qvod qvi pecuniam contulit omni periculo pecuniæ per pactum eximatur. Didac. Covarruv. *lib.3. var. reſol. c.2. n.4.* nec iniqvum erit ſub eodem caſu certam ſibi in mutuo ſtipulari qvotam. & porro ſi lucri qvantitatem ſignificare nolit mutuatarius, qvod Mercatoribus ſolenne eſt, iniqvum non erit, certam ſibi ſummam taxativè ſtipulari. Nec enim plus ſibi tribuere hîc poteſt ſocius, qvippe, qvi non minus qvam mutuatarius pecuniam, ex qvâ lucrum qværit, aliunde habet. Et qvanqvam multis modis inter ſe differant contractus ſocietatis & mutui, lucrum tamen utrobiqve

ex alienâ pecuniâ perceptum ἀποπλεσμα eſt, iisdem æqvitatis regulis ſuccumbens, & ex eâdem ratione naturali proveniens.

XV. Ita porrò qvalis & qvanta æqvitas eſt, capiendi partem fructuum ex fructibus, qvos conductor ſumit ex fundo meo: talis & tanta æqvitas ſtat pro licentia capiendi partem fructûs, qvem mutuatarius capit ex pecuniâ meâ, conductor ex jumentis meis, ex operis manuum mearum &c. Hülſeman.b.m. *in breviar. c.11.n.21.* Balduin. *de caſ.conſc.c.3. caſ.4.n.5.* Nec eſt, qvod toto cœlo contractum mutui à contractu conductionis differre objicias. Ex hoc enim disparitatem æqvitatis nunqvam induces. Qvin videtur qvandoqve naturali rationi convenientius, ut ex mutuo lucrum percipiatur à mutuante, qvàm ut ex conductione percipiatur ab locatore. Pone enim, ingens lucrum acceſſiſſe mutuatario ex pecuniâ mutuò datâ, conductorem verò nihil qvicqvam percepiſſe ex re locatâ, nec eam detritam aut deteriorem redditam imò verò extra omnem uſum à conductore hactenus detentam, annon æqvum erit, mutuatarium potius ad lucri partem communicandam, qvam conductorem ad penſionem ſolvendam adigere, præſertim cum ille, qvod ſibi abſit, cauſari omninò nihil, hîc autem benè multa qvandoqve poſſit.

XVI. Non moveor, qvod pecunia & nummus in ſe res ſterilis ſit, & parere ex ſe qveat omninò nihil. Eſt enim & domus aut ædificium res ex ſe ſterilis, & tamen locari certâ mercede atqve conduci poteſt. Et cur ergò magis propter uſum ædificii pecuniam mihi ſtipulari liceat, qvam propter lucrum ex pecuniâ mutuatâ emergens? Sanè uſura propriè fructus non eſt. Fructus enim naturale nomen eſt & ſignificat id, qvod naturâ provenit. Uſura autem naturaliter ex pecuniâ vel mutuo non naſcitur, ſed ex novâ obligatione. At ita nec merces ex conducto ædificio promiſſa in fructu haberi poteſt, cùm non magis habile ſit ædificium, ut nummum ex ſe pariat, qvàm ipſe nummus. Et tamen propter uſum ædificii, qvi plerumq; omni lucro caret, pecuniam petere licet, qvidni ergò licebit etiam non qvidem propter uſum pecuniæ, ſed propter lucrum ex uſu reſultans? Sicut igitur vectura ſeu penſio ex domo vel nave locatâ non percipitur naturâ, ſed jure, h.e. non ex corpore aliqvo naturaliter, ſed ex conventione partium artificialiter & hominis induſtriâ, ſic & uſura ex mutuo.

XVII. Si

XVII. Si porrò dixeris, in rebus locabilibus, qvà talibus uſum rei habere alium valorem, qvam habeat res ipſa, & ideò per locationem uſum qvidem rei in conductorem, non tamen rem ipſam qvoad dominium aut proprietatem transferri. At in mutuo uſum pecuniæ non habere alium valorem, qvàm pecuniam ipſam, cum pecuniæ valor ſit propter valorem usûs, & totus ejus uſus conſiſtat in abuſu atqve conſumptione, nec poſſit adeò ullus ejus uſus eſſe ſine amiſſione proprietatis, Conrad. Summenhart *de contract. qv.22. concluſ.2. rat.6. & 7.* reſpondeo, nihil adhuc eſſe, qvod nos divertere qveat. Ut enim jam non diſputem, utrum valor pecuniæ, & valor dominii pecuniæ, & valor usûs pecuniæ, identitate numericâ conveniant, de qvo multis diſceptat ipſe Summenhart *q.23. §. ad ſextam &c.* id unicum repono, nullibi adhuc à me aſſertum, uſuras peti poſſe propter pecuniæ uſum, ſed illam totam hactenus fuiſſe diſputationem, non repugnare rationi naturali, ſi qvis mutuando pecuniam in caſum lucri inde contingentis aliqvam ſibi partem, etiam certam certo numero definitam ſtipulatus fuerit. Sed & ipſe pecuniæ uſus non conſiſtit propriè in diſtractione vel in expensâ, ſed ultimatò in reſultante inde uſu rerum, qvæ mediante illâ pecuniâ vel comparantur & acqviruntur, vel conſervantur aliàs diſtrahendæ.

XIIX. Qvod ſi jam penitius rem examines, totumq; mutuatarii commodum, qvo primùm ad mutuo ſumendam pecuniam inducitur, qvodq; deinde, vel res ſuas conſervando, vel novas comparando reverà percipit, qvodq; adeò rei ſuæ familiari conſultius putet ex alienis bonis magno eam compendio augere & conſervare, qvam longo labore & ſudore minutatim aliqvid lucrari, utiqve negari neqvit, commodum iſtud eſſe rem æſtimabilem. Ita enim etiam inter Mercatores obſervatur, ut propter ſperatum commodum gratior ſit præſens pecunia, qvippe qvæ ſæpè facit, ut vilius vendatur res, qvam ubi in aliqvod tempus de precio habenda fuerit fides. (qvanqvam & hoc qvoq; caſu uſurarium contractum celebrari velint Canoniſtæ. Vid. Garſ. Maſtrill. *deciſ.106.n.13.*) Non igitur rationi naturali repugnat, pro commodo iſto aliqvid ultra ſortem expetere; qvod ipſum tamen ut qvotannis exigatur, aut etiam qvantum id eſſe debeat, ratio naturalis præciſè non definit, ſed id totum arbitrio boni Viri relinqvit. Addo & illud, obliga-

Digitized by Google

tionem plerumqve conſtitui in diem, nec ante ejus lapſum Creditori fas eſſe reſtitutionem petere, & hâc ratione jus non niſi poſt certum tempus reddendi fieri æſtimabile, qvod etiam jus civile ſeqvitur *l.12.ff.de V.S.* qvidni igitur liceat in compenſationem ejus à debitore aliqvid exigere. Sed & ipſum officium mutuandi remunerationem recipit, qvod diffiteri neqveunt Moraliſtæ, Vid. Paul. Laymannus *Theol.moral l.3. tr.4.c.16. n.4.* id verò ut in neceſſariam præſtationem voluntate contrahentium convertatur, rationi naturali non repugnat, præſertim ſi obligatio non ad certum aliqvod officii genus determinatè reſtringatur. Et hactenus qvidem de jure naturæ, qvatenus ei vel non repugnet, vel conveniat, aliqvid ultra ſortem expetere, dixiſſe ſufficiat.

XIX. De jure divino multa ſæpè inter Doctores circa hanc materiam disqviruntur. Et certum eſt, famoſum nimis eſſe uſuræ nomen in Scripturis, & atrocibus verbis pasſim damnari, *Exod.XXII, 25. & 27. Levit.XXV, 35.36.37.38. Deut.XXIII, 19. Pſal.XV, 5. Prov.XXVIII. v.8. Ezech.XVIII, 8. Nehem.V, 7.* Ex qvo Carolum Molinæum, qvod uſuras certo modo licitas eſſe contendat, malum hâc in re Theologum vocat Antonius Faber *Cod.lib.4. tit.24. def.2. n.5.* & eundem Sigiſmundus Scaccia ob hoc ipſum hæreſeos notatum ex Navarro & Azorio, ejusq; opus ad ignem damnatum refert, *tract. de commerc. §.1. qv.1. n.402.* ita factum deinceps, qvia nomen Molinæi ut hæretici Pontificiis exoſum erat, ut Gaſparis Caballini nomine deinceps veniret. Ritterhuſ. *ad Novell. part.3. c.10.*

XX. Cæterùm cùm ad Theologos pertineat, & cathedram noſtram tranſcendat, Scripturæ Sacræ expoſitio, nolumus nos ea, qvæ noſtra non ſunt, invadere. Ita tamen ab illis edocemur, dicta V.T. uſuras prohibentia agere de officio mutui indigéribus gratis præſtando, ita ut præter ſortem cum ipſorum detrimento & opprestione nihil ab illis exigi debeat. Gerh. *loc. de magiſtrat. n. 249. ſeq.* Prohibitæ enim omni jure ſunt illæ uſuræ, qvæ contra Chriſtianam charitatem proximum mordent & arrodunt, qvæq; à debitoribus illis, qvi vel prorſus ſunt pauperes aut indigentes cum eorum afflictione, aut etiam à divitibus ultra modum legitimũ exiguntur. Atq; de his pleraq; Scripturæ dicta poſt Theologos accipiunt JCti, Dominic. Arumæus *diſp. ad pandect.14. n. 15.* Dn. Carpzov. *part. 2. conſt. 30. def. 1.* Chriſtoph. ab Hagen *de uſur. c.3. n.29.* Hermann. La-

ther.

Digitized by Google

ther. *de cenſ.lib.3.c.23.n.76.* Petr. Heig.*part.2.qv.1.n.105.ſeq* Dn.Hahn. *obſ. ad Weſenbec.tit.de uſur.n.5.* Scopus enim divinæ legis eſt charitas, qvam homo homini debet. Non ergo videtur uſura lege divina illicita & interdicta, niſi in qvantum eſt contra charitatem. Carol. Molin.*de uſur. n.10.*

XXI. Jure Canonico prohibitas eſſe uſuras, oſtendit tot. tit. X. de uſur. Imò Jus Canonicum & ejus Interpretes adeò abſolutè uſuras damnârunt, ut mentalem qvoqve, qvam vocant, profligaverint. Mentalem autem uſuram dicunt, qvando qvis mutuat eo animo & intentione, ut lucrum ex mutuo accipiat, citra conventionem expreſſam vel tacitam cum mutuatario de tali lucro percipienpo. Andr. Vallenſ. *in parat X.de Uſur.§. 2. num.* 1. Et talem pro uſurario haberi debere, decrevit Urbanus III. in *c.conſuluit 10. X.de uſur.* ubi tamen perperam id probat ex dicto Salvatoris *Luc. 6,35. Mutuum date nihil inde ſperantes.* Sermonem enim ibi eſſe e mutuo eleemoſynario ipſa contextûs ſeries ad oculum exhibet. Vid. Gerhard. *loc.de magiſtrat.n.251.* Sed & ipſi Canoniſtæ, cùm viderent, duram eſſe & rigidam nimis ſententiam Pontificis, ita eam temperârunt, ut tùm demum mentalis intentio & ſpes lucri aliqvẽ faciat uſurarium, qvando eſt principaliter & primaria, non qvando minus principaliter & in qvandam conſeqventiam lucrum ſperatur. Aug. Barboſa *in d.c.conſuluit,n.6.* Henr. Caniſ. *de uſur. 1.n.5.*

XXII. Qvantacunqve verò hic Pontificium jure Canonico ſit ſeveritas, nulla tamen eos, qvo minus emolumentum ex annuis reditibus admitterent, cepit religio. Et ſanè dubitare licet, annon in vicem uſurarum & in fraudem legis annui ejusmodi reditûs primùm fuerint inventi. *Cum enim Pontifices* (verba ſunt ſolidisſimi J ti Franzkii *ex lib.1.reſolut.1. n.56.*) *horumq; aſſeclæ animadverterent mutuum non ſaltem ex ratione juris civilis in ſe eſſe gratuitum, ſed & ita ſecundùm legem divinam dari debere, ut nihil inde ſperetur, uſuras, qvæ per ſtipulationem mutuo adjectam, promiſſa ſit, ſive Zelo qvodam præpoſtero, ſive corticem verborum ſectando, illicitam putârunt. Et tamen cum auctis poſtea opibus Clericorum pecunias otioſas vel ſterile poſſidere, vel etiam proximo gratis mutuas dare recuſarent, de alio modo cogitatum eſt, ut pecuniæ illa interveniente emptionis titulo ab illarum poſſeſſore, tanqvam pretium qvoddam pro certâ penſione an-*

Digitized by Google

nuatim præſtandâ in perpetuum alienentur: qvâ qvidem ratione putatum fuit legi divinæ ſatisfactum, dum ab invito ſors pecuniæ repeti non poteſt, ſecùs qvàm in mutuo, ubi recipiens pecuniam præcisè ad reſtitutionem & qvidem ſuo etiam periculo obligatus eſt l. incendium 11. C. ſi cert. pet. & à vero mutuo receſſum eſſe, dum penſio illa non tanqvam uſura, ſed merx qvædam vendita à recipiente pecuniam, qvi venditoris partes ſuſtinet, percipiatur. Licet enim penſio illa in hoc cum uſurâ convenire videatur, qvod pecunia non minus ac in uſuris ſit, immediatè fructum pro ratâ ſortis & temporis qvaſi pariat, & debitores temporali æris uſu indigentes bis reditibus utantur, qvemadmodum de jure civili ſolebant olim uſum pecuniæ uſuris redimere. qvia tamen ab initio nulla oritur obligatio ad reſtitutionem ſortis, ſicut in mutuo, ubi in Creditoris poteſtate eſt, niſi pecuna ad certum tempus credita ſit, pro arbitrio totam ſortem repetere, æqvum viſum eſt, ut ſicut Creditor ſortem perpetuo alienavit, ita non ſaltem eidem propter carentiam bujusmodi ſortis penſio ſive reditus certus valori ſummæ ita alienata correſpondens conſtituatur, ſed & perpetuo conſerveur, licet duplo vel triplo vel amplius ſortem tractu temporis excedat, nomminus ac ſi qvis fundum certo pretio comparaſſet, fructus ſuos facit, licet ancul is annis precium ſolutum ſupergrediatur, &c.

XXIII. Eſt enimverò, ſi ipſos inter ſe contractûs mutui, & emptionis redituum conſideres, multa magnaq; differentia. Mutuum namq; re contrahitur; emptio ſolo conſenſu. Mutuum unius auſa contrahitur, emptio venditio causâ utriusqve. In mutuo ſols accipiens obligatur, in emptione venditione uterqve. Mutum ſuâ naturâ eſt gratuitum; Talis non eſt emptio venditio. Mutuas habet poteſtatem repetendi ſortem; talem non habet empte redituum. Utiq; ergò ſi in mutuo uſuræ damnantur, non idcirc etiam annuos reditûs damnari conſentaneum eſt, cùm præſertn emptor eos non ex re alienâ, ſed propriâ percipiat, qvippe qvm ſibi juſto precio comparavit. Et hactenus qvidem optimè ſe hbet de annuis reditibus conventio. At ſi charitatem proximi reſexeris, uti qvidem in moralibus ea inprimis attendi debet, fieri pteſt, ut non mitius per annuos reditûs, qvàm per uſuras facultate proximi attenuentur, & ille per conceſſionem redituum, qvibus ita trahi utcunqve potuiſſet, æqvè neceſſariis vitæ ſubſidiis deſtuatur, qvàm per ſolutionem uſurarum. Qvid enim intereſt, cetum ſolvat qvis qvotannis uſurarum nomine, an ut annuos redits? utrobiqve

Digitized by Google

biqve centum decedunt ex facultatibus debitoris, neq; hîc minus, qvam illic gravatum ſe ſentiet. Fac mihi trecenta qvem habere in bonis. centum inter ea accepiſſe mutuo cum promisſione uſurarum qvincuncium, centum alia accepiſſe precii loco, ut qvinqve redituum nomine ex bonis ſuis qvotannis ſolveret, an mitius agi putemus cum eo, ubi reditûs, qvàm ubi uſuras ſolvere cogitur: Dati & accepti utrobiqve eadem eſt qvantitas. Neutrobi liberatur debitor ſolutione annuorum qvinqve, niſi accepta centum reſtituerit. Utrobiqve detracto ære alieno, non plus habebit in bonis, qvam centum. Qvid ergò eſt, qvod annuis reditibus magis faveant Canoniſtæ, qvàm uſuris?

XXIV. Dicis, præſtat tamen adhuc contractum potius emptionis redituum celebrare, qvam uſuras ſtipulari dato mutuo. Qvi enim pro jure redituum à ſe alienato pecuniam accepit, ad illam reſtituendam neqvaqvam obligatur & conſtringitur, ſed illam perpetuo acqvirit, ipſe verò emptorem ad precium recipiendum & rem reſtituendam cogere poteſt. At in mutuo Creditor qvandocunqve ſortem repetere, & ad eam reſtituendam debitorem adigere poteſt. Agnoſco hanc differentiam, & niſi hæc lex adderetur, aut ineſſet, fieret contractus de annuis reditibus uſurarius, cum eo caſu non tàm emptioni, qvàm mutuo negocium reſponderet, & proinde acceſsio uſurariam pravitatem contineret, uti poſt Sotum & Covarruviam fateturGail. *2. Obſ. 7. n. 14.* Petr Coſtal *ad l. 1. n. 19. ff. de uſur.* At video tamen, hanc differentiam eſſe tantùm inter accepta utrobiqve à debitore, non inter data vicisſim ab eo, de qvibus tamen hîc ſermo. Utrobiqve enim dum annua qvinqve in ſingula centena ſolvi oportet, nihil in iſtis ſublevabitur debitor, ut maximè ſors repeti in altero contractu neqveat, in altero pro lubitu posſit. Et hoc tamen ſi qvinqve annua in ſingula centena ſolvere qvis teneatur, utrum id pugnet cum charitate, præcipua eſſe debet controverſia, non attento, centena iſta ex mutuo an ex venditione redituum accepta fuerint. Qvin profecto fieri poteſt, ut gravior multo ſit cauſa contractûs de annuis reditibus, qvàm mutui. Pone enim per qvadraginta annos debitorem annua iſta qvinqve non ſolviſſe; Si ex mutuo centum debet, non plus debet nomine ejus qvod intereſt, aut uſurarum, qvàm alterũ tantum ſortis, hoc eſt centum, ex ſententia eorum, qvi

Digitized by Google

qvi ita leges interpretãtur. At ſi annuos reditûs debet, ducenta ut ſolvat, cogi poteſt; ſorte adhuc utrinq; ſalvâ. Nec igitur plus æqvitatis habet emptio redituum, qvàm ſtipulatio uſurarũ in mutuo.

XXV. Sed enim videntur Canoniſtæ uſuras damnare odio ferè ſolius nominis; & ſi in cauſa mutui exceſſivum qvid ſine ullo juſti velamine recipiatur. Uſuræ enim vitium in contractu mutui propriè, non aliis contractibus committi docent. Vid. Fern. Vaſq. *l.6. controv.c.60.n.8.* Qvod ſi in cæteris qvoq; contractibus pactum vel ſtipulatio de lucro aliqvo, præter id, qvod intereſt, acceſſerit, juris interpretatione negocium id in mutuum degenerare, & fictione brevis manûs alium planè contractum celebratum cenſeri. H. Caniſ. *de uſur.c.1.n.14.& c.3.n.2.* Garſ. Maſtrill. *deciſ. regn. Sicil. 106. n.2. ſeq.* Atqve hinc duplex mutuum facere coacti ſunt Canoniſtæ, verum & interpretativum, qvod & palliatum dicunt & reductivum. P. Gregor. Tholoſan. *l.1. de uſur. c.3. n.1.* Læl Zech. *de uſur. c.1. n.3.* Sig. Scaccia de commerc. *§. q.7. p.1. n.25.* Porrò in contractu mutui prohibitas tantùm volunt uſuras lucratorias, non compenſatorias, qvod his damnum vel lucrum ceſſans compenſetur. Compenſatoriis autem iſtis uſuris tantum & tàm prolixum largiuntur ambitum, ut nullus fere lucratoris ſe accipere uſuras ut confiteatur, neceſſe habeat, omnes, compenſatorias ſe ſtipulatos eſſe tuto aſſeverare poſſint. Ecce tibi exemplum. Paulus Laymannus *in Theol. Moral. l.3. tr.4. c.16. n.9.* ſtatuit, probabile periculum damni, cui mutuator ſe exponit, ſi homini non induſtrio & pluribus debitis obſtrictio mutuo det, æſtimari, & idcircò interveniente pacto aliqvid exigi poſſe, qvia qvivis prudens mallet decem florenos v.gr. donare, qvam centum tali homini credere, aut mutuo dare, & eſſe hîc contractum innominatum ſuapte naturâ juſtum: Subjiciam me periculo in tui gratiam, ſi dederis mihi decem florenos. Euge! qvis porrò tàm rudis inter uſurarios erit, qvi non aliqvod cauſari poſſit periculum? ſaltem in eo caſu, ubi mutuatarius ſibi mutuũ petit. Qvod enim ſubjungit Laymannus, probabile eſſe debere & non vano timore conceptum periculum, futile eſt, & nullius momenti. Timor enim ille in concreto conſiderari debet, reſpectu habito ad hoc & nunc propter diverſam hominum conditionem & naturam, dum alius meticuloſior, magis ſuſpicax, diffidentiâ plenior alio, alius alio pecuniæ magis deditus

tus

Digitized by Google

tus & in rem magis attentus exiſtit. Et ſicubi probationibus res peragenda fuerit, difficile erit, & cum injuriâ conjunctum, probare, minus induſtrium, rerum ſuarum minus ſatagentem, ære alieno obrutum eſſe mutuatarium. Qvid ergò hîc non cauſari poterit uſurarius, patente ſibi hac uſuras velandi ratione?

XXIV. Cæterùm ſi vera eſt deſcriptio Canoniſtarum, qvod uſura ſit, qvicqvid ſorti accedit ex pacto vel ſpe præcedenti, non poteſt excuſari Laymannus, qvod eam probet negociationem, qvâ civis majore anni parte pecunias paratas habet, ut indigentibus civibus mutuum det, & factâ poſt annum medium reſtitutione in ſingulos florenos auctarium aliqvod recipiat. Ait qvidem Laymannus, auctarium iſtud non accipi ratione mutui, ſed ratione obligationis, oneris ac curæ, qvam civis ille in gratiam indigentium e.g. textorum in ſe ſuſcipit, ut toto fermè anno pecunias pro illis in promptu habeat, qvocunq; tempore in domum ſuam adventantes intromittat, pecunias numeret &c. & hanc obligationem precio æſtimabilem eſſe; defendi qvoq; iſtam lucrandi rationem titulo ſocietatis cum annexo pacto aſſecurationis, textores enim pecuniis à Titio acceptis negociari, materiam ad telas texendas opportuno tempore coëmere, & lucrum inde reportâre, ejus aliqvantulam partem depoſcere ſibi civem illum & qvæ ſunt alia. Sed enim omnes iſtas rationes lucro ex mutuo percepto adaptabit uſurarius, nec aliam ſe negociationem profiteri, qvam ipſam illam, qvam admittit Laymannus. Id verò neſcio an poſitis Canoniſtarum principiis admitti debeat, qvod aliâ in ſpecie idem ſubjungit Laymannus: *Si qvis, inqvit, pecunias ſub uſuræ obligatione mutuas acceperit, qvibus etiam deinceps in ſuum commodū uſurus fuiſſet, poſſe eum cum mutuo petente paciſci; Dabo tibi mutuos mille aureos, privando me commodo, qvod alioqvin ex iis percipere volebam, ut in ejus compenſationem tu tenearis pro me uſuras Creditori meo ſolvere. Sin verò nullum aut exiguum commodum ex pecuniâ mutuo acceptâ capturum ſe putet, ideoq; pœniteat, eum mutuo ſub uſuris accepiſſe, tunc nefas eſt, tali pacto alteri mutuare, cum gravamen illud revera non imponatur mutuario in compenſationem lucri aut commodi ceſſantis, ſed potius ratione mutui, qvod uſurarium eſſe conſtat.* Semper enim hîc obſtat commune principium, qvod omne mutuum ſit gratuitum. hoc enim ita ingeminant Canoniſtæ, ut ſatis uſuras ſe

concul-

Digitized by Google

conculcaſſe putent principio hoc ſuppoſito. Deinde, ſi Titius Sempronio cum pacto uſurarum mutuo det, non excuſatur à pravitate uſurariâ per hoc, qvod ipſe mutuum acceperit à Cajo cum uſurarum promiſſione. Qvid enim hoc pertinebit ad Sempronium? aut qvid deliqvit Semproniꝰ in facto Caji? Tertio, qvid eſt, qvòd cùm demum obligari poſſit Sempronius ad ſolvendas uſuras, ſi Titius commodum ex eâ pecuniâ ſe habiturum ſperet; obligari non poſſit ille, ſi nullum hic aut exiguum commodum habiturum ſe putet? Qvis enim ſibi non ingentia animo concipiet lucra, ſaltem ad id, ut uſuras licitè petere poſſit? Imò verò charitas Chriſtiana mutuatarii potius reſpicere jubet conditionem, ut injuſta planè ſit uſura, ſi Sempronius nullum planè ex pecuniâ mutuo datâ perceperit commodum, ut maximè grande ſe habiturum inde ſibi perſvaſerit Titius. Sed hoc eſt ſcilicet, qvod ante dixi, Moraliſtas, cum qvibꝰ plerumq; faciunt Canoniſtæ, non tam rem averſari, qvàm nomen uſuræ, nec ſibi temperare poſſe, qvin identidem contractus ejusmodi re vera uſurarios admittant & ineant.

XXVII. Videamus tandem juris civilis ſancita, qvatenus ea cum uſurariis faciant aut non faciant. Et qvidem placuit aliqvando Romanis, fœnerari nullo modo licere, vel ex eo capite, qvod crebræ inde ſeditiones & diſſenſiones in populo orirentur. *Sanè,* inqvit Tacitus, *lib.6.annal. vetus Urbi fœnebre malum & ſeditionum diſcordiarumq; creberrima cauſa, eoq; cohibebatur antiqvis quoqve & minus corruptis moribus.* Et appianus Alexandrinus *l.1.civil. Abhorruiſſe mihi qvidem videntur veteres Romani fœnoris conſvetudinem, qvemadmodum & Græci, nec ſecꝰ ac cauponandi qvæſtum qvendã exiſtimaviſſe, gravem intolerabilemq; pauperibus, & inimicitias ultro procreantẽ &c.* Sed cùm propter commercia identidẽ repeteretur & invaleſceret fœnerandi conſvetudo, de coërcitione magis & modi poſitione, qvàm omnimodâ abrogatione deinceps cogitatum fuit. Nec tamen lege XII.tabb. alia qvam unciaria uſura permiſſa legitur; ſed qvæ ſeqvioribus temporibus ita aucta eſt, ut ad centeſimã uſqve excreſceret, etiam inter ipſos Chriſtianos, uti patet ex *l.1.& 2.C.Theodoſ.de uſur.* Continet autẽ centeſima 12. uſuras unciarias eaq; legitimæ uſuræ nomine deinceps veniebat, qvam etiam in pandectis ſæpiſſimè legitimæ nomine indigitaſſe prudentes,

haud

Digitized by Google

haud fruſtra opinatur Franciſcus Balduinus *in Juſtinian. p. 61.* Tandem Juſtinianus Imp. obſervato certo debitorum & creditorum diſcrimine, nec non aliis conſideratis circumſtantiis, modum uſuris poſuit in *l. 26. C. de uſur. & qvibusdam novellis*, ut fruſtra qvis dubitet, num jure Juſtinianeo licitæ fuerint uſuræ.

XXVIII. Id tamen dubium adhuc eſt, num permiſerit tantum Juſtinianus uſuras, an etiam approbaverit? Multum enim inter ſe iſta differre, oſtendi *exercit. 3. de jurib. Majeſt. n. 43. 44. 45.* Sunt, qvi neutrum aſſerere, ſed imò prohibitas eas à Juſtiniano contendere velint hoc argumento, qvod Juſtinianus profeſſus fuerit catholicam fidem & ſe admittere ac probare qvatuor Concilia univerſalia, *l. 8. §. ſuſcipimus C. de SS. Trin.* ex qvibus Nicenum uſuras prohibuerit, *c. qvoniam 3. diſt. 47.* At enim cum argumentum à tacito non procedat, qvando contrarium eſt expreſſum, qvod tacito prævalet, & ut ante dixi Juſtinianus diſertè modum uſuris poſuerit, nec ullibi expreſsè eas prohibuerit, argumentum hoc non facilè inveniet aſſenſum. Vid. H. Zoëſ. *comment. in Digeſt. tit. de uſur. n. 9.* H. Caniſ. *de uſur. c. 1. n. 31.* Alii igitur, qvos ſeqvitur ipſe Zoëſius *d. l. n. 10.* malunt, Juſtinianum non approbaſſe uſuras, ſed tantùm toleraſſe, majoris mali evitandi causâ, & in egentium ſubſidium. Qvibus eqvidem adſiſterem & ego, niſi me moveret illud, qvod cum Juſtinianus Viris illuſtribus trientem uſuram ſtipulari aut exigere conceſſerit *d. l. 26. C. de uſur.* fiſcum tamen ſuum tàm illuſtrem eſſe non judicavit, qvin ei uſuram ſemiſſem permitteret. *l. ult. C. de fiſcal. uſur.* At ſi uſuras prorſus improbaſſet Imperator, nec ſibi qvidem aut fiſco ſuo indulgere tale qvid debuiſſet, tantum abeſt, ut graviores ei concedere potuiſſet. Facere rectè cives ſuos Princeps optimus faciendo docet; cumq; ſit imperio maximus, exemplo major eſt, ait de Auguſto Paterculus. Et qvam vero hìc cauſam ſubeſſe credamus, qvod fiſco uſuras permittere neceſſe habuerit Juſtinianus, cujus tamen ipſe & arbiter eſt & moderator, qviqve, niſi ipſe nolit Imperator, legibus coërceri poterit qvàm facillimè? Ipſe ſibi dum lex eſt Princeps, qvid opus eſt, ut permittat ſibi? Permiſſio enim tùm ferè locum habet, qvando actus, qvem permittimus, non eſt in noſtra poteſtate, nec impediri facilè poteſt. Dixerim ergò non permiſſas tantùm, ſed approbatas etiam jure Juſtinianéo fuiſſe uſuras, ut tamen intra modum conſtitutum continerent-

rentur. Et hactenus ſcil. in genere de uſuris, qvatenus licitæ ſint, diximus. qvæ qvidem prolixius hîc exponere neceſſe fuit, ut feliciores in ſeqventibus facere poſſimus progreſſûs, & de toto hoc negotio accuratius disqviri qveat.

XXIX. Propius nunc ipſum contractum, qvi Mohatra dicitur, videbimus, & qvantum illi ſecundum regulas juris & juſtitiæ tribui debeat, breviter diſpiciemus. Eſt autem MOHATRA vocabulum Hiſpanicum, qvod idiomate Italico ita explicat Laurentius Franciosini *in vocabulario: Mohatra è la compra finta, che ſi fà vendendo il mercante più caro del dovere, e tenendo ſubornato un' altro, che ricompri l' iſteſſa coſa più à buon mercato, che noi diciamo communemente ſcrocchio*, i.e. emtio ſimulata, qvando mercator vendit merces cariùs juſto, & ſubornatum habet alium, qvi eandem rem reemit vilius, qvem nos communiter dicimus ſcrocchio. SCROCCHIO autem vocabulum idem ille ita explicat, qvod ſit; *che compra una coſa con ſicurtà, e la vende poi a danar contanti, e per manco di qvello, che gli coſtò*, i.e. qvi emit rem pecuniâ creditâ parata, vilius qvidem, qvam ſibi conſtitit. Sunt & aliæ ejus appellationes, qvas congesſit Sigiſmundus Scaccia *de commerc.* §. 1. *q.* 1. *n.* 566. Vocari enim dicit ejusmodi commercia communiter *ſtocchi* (ex qvo fortaſſe noſtrum ſtechen inter mercatores uſitatum) ſeu *ſtoccoli, baroccoli, rompicolli, ritrangoli & ciavance*, qvæ ſingula vocabula inter Italos plerumqve deſignant uſuram & lucri genus illicitum. Ita enim Franc. Sacchetti *in vocab. della Cruſca ſub verb.* BAROCCOLO *: ed' hanno battezzatto l' uſura in diverſi nomi, come, dono di tempo, merito, intereſſo, cambio, civanza, baroccolo, ritrangolo, e molti altri nomi.* Barbara autem eſſe qvædam hæc vocabula notat Scaccia *d. l.* qvemadmodum & nos uſurarios in vernaculâ deformibus vocabulis Kipper & Wipper dicere ſolemus. Et ex his intelligi poteſt, Mohatram eſſe contractum realem, qvo aliqvis rem carius emit pecuniâ creditâ, & eandem eidem mox vilius revendit pecuniâ numeratâ, ut qvam mutuo habere non potuit, pecuniam ſub his involucris accipiat.

XXX. Vulgò ita deſcribitur: Mohatra tùm dicitur, cum ille, cui viginti Philippici opus ſunt, pannos de mercatore emit precio triginta philippicorum poſt annum ſolvendo: mox eidem numeratâ pecuniâ viginti philippicis revendit. Sive, ut explicat Antonius de Eſcobar *in Theol. moral.* Contractus, vulgatiter Mohatra, eſt,

qvan-

Digitized by Google

quando quis egens pecuniâ, emit pecuniâ creditâ à mercatore merces ſummo precio, & ſtatim ei pecuniâ numeratâ precio infimo revendit. Ponamus igitur Titium opus habere centum aureis, cumq; invenire neminem poſſet, à quo mutuo eos accipere liceret, quod carere ea pecuniâ ſine lucro ex facultatibus ſuis nemo vellet, adire Cajum Mercatorem, invenire apud eum pannos venum proſtantes, liceri, & quod paratâ pecuniâ ſolvere precium non poſſet, fides ſibi ut habeatur, petere, Mercatorē verò propter ſolutionis dilationem pannos centū aureis valentes, precio centum viginti vendere, addito pacto, ut poſt anni effluxum ſolutio præſtetur. Titium abſoluto hoc contractu pannos jam emptos ſtante pede eidem Mercatori Cajo revendere, viliori tamen precio, centum ſc. aureis, ſed ita, ut illicò & ſine dilatione centum iſti aurei adnumerentur. Quis vero hîc diceret pecuniam creditam eſſe ſub uſuris? quis hîc ultra ſortem lucrum aliquod aut ſperari aut intendi crederet? Utrobiq; emptio & venditio celebratur, nullibi mutuum, quod per uſuras deturparetur, nullibi contractus illicitus. Elegans ſanè inventum & centum boum mactatione dignum. Videamus ejus patronos & Defenſores.

XXXI. De origine quidem & natalibus talis modi contrahendi nihil conſtat. Credibile tamen eſt, ortum fuiſſe primum inter negociandum, non tamen ſtatim cum ejusmodi complexâ intentione lucrum captandi & nummos conficiendi: aut verò, quod verius videtur, excogitatum eum vel ab uſurario aliquo eum in finem ut uſuras à ſe quæſitas qualicunq; velamento ſuſtineret, vel ab ingenio aliquo Moraliſtâ ſive Caſuiſtâ, qvi dum caſûs ſibi fingeret, quibus conſcientiam inſtruere poſſet, hunc quoq; commentus eſt, ut haberet ſcil. quo induſtriam ſuam pecunioſæ negociationi ſatis idoneam oſtentaret. Poſtquam autem ſemel in Caſuiſtarum officinam commercii hoc genus pervenit, nemo hodiè eſt, qui non ejus faciat mentionem, & vel addat aliquid vel detrahat, ut viſum fuerit vel ſuo vel aliorum ingenio magis congruum. Et ne neſcias, cum quibus nobis nunc res ſit, ante omnia noſſe debes, Jeſuitas ſibi ferè ſolis hodiè ſumpſiſſe & vindicaſſe doctrinam morum, certè videri ſibi cæteris omnibus in eo genere ſagaciores. At illi, qvales ſint, optimè deſcribit Thomas Lanſius, *orat. contr. Hiſpan. p. 467. ſeqq.* Id unum memorare nunc libet, quod de ejectione eorum in

 ple-

Digitized by Google

pleriſq; terrarum provinciis plurima paſſim promulgata fuerint edicta. Vid. Johan. Hoornbek *diſſ. ad bullam Innocentii X. pag.* 198. Et quid ergo boni à perditiſſimo hoc hominum genere expectabimus? quos ipſe Melchior Canus Vir ſuo tempore magni nominis nuncios Antichriſti vocavit, reprehenſus propterea Theophylo Raynaudo Jeſuitæ *libr. de coron. aur ſupr. mitr. Pontif. pag.* 465. In ſtabiliendâ autem morum diſciplinâ quales ſe præſtiterint, enucleatè docet elegantiſſimus autor Ludovicus Montaltius *in literis provincialibus*, qvibus velut in compendio omnia eorum arcana ita congeſſit, ut ingentia iſta, qvæ Mundo hactenus obtruſerunt, & ſpiſſa volumina evolvendi, omne facilè extinguatur & intercidat deſiderium. De toto eorum inſtituto ita legitur in admonitione ad Lectorem: *Intelligitur enim non hoc ipſos præcipuè ſpectaſſe, ut mores vel corrumperent vel emendarent, ſed ut flexibilibus inſtitutis omnes ad ſe allicerent. Hinc factum, ut pro variis hominum moribus varia haberent de moribus decreta: has autem decretorum varietate ſuſceptâ, neceſſario inflectenda fuit rigida illa Evangelii norma, unum ſemper tenorem tenens, aliaq; ſubſtituenda in ejus locum tenera, mollis, cerea, & in qvamcunq; velis ductilis formam: hæc illa eſt qvam PROBABILITATIS doctrinam vocant. Summa hujus doctrinæ eſt, licere cuiq; eam opinionem tutâ conſcientiâ ſeqvi, qvam qvatuor, vel tres, vel duo, vel unus etiam gravis Doctor tradiderit; itemq; conſultum de aliqvâ re Doctorem, poſſe reſpondere juxta probabilem aliorum ſententiam, qvamvis ipſe Doctor ejusmodi ſententiam ſpeculativè falſam eſſe certò ſibi perſvadeat, ut ait Laymannus Jeſuita: adeoq; cùm ex utraq; ſententiâ conſilium dare poſſit, prudenter facturum, ſi eam in conſilio dando eligat, qvæ conſulenti favorabilior ſeu exoptatior ſit, &c.* Hæc eſt illa methodus novis Moraliſtis hodiè uſitata, quibus ſc. tàm facilè ſuccurritur conſcientiis, ut alacrius nunc eluantur crimina, quam committantur, ut habent eorum verba. At profectò verum hîc evadit, quod in lucubrationibus Vaticanis *lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 55. ſcribit Franciſcus Cardinalis Mantica: *Doctoribus juris Pontificii in iis, qvæ pertinent ad moralem philoſophiam, magis credendum eſſe, qvàm Theologis.* Sanè fecit ea Jeſuitarum protervia, ut congregatio Cardinalium ad expurgationem librorum deputatorum in eos animadverteret, & quoſdam eorum libros prohiberet. Autor libelli Gallici pro cauſâ Janſeniſticâ apud Gisbert. Voet. *part.* 3. *diſſ. Theol. pag.* 49. refert, quatuor Jeſuitarum Baunii, Poza, Cellot, Rabar-

bardeau, *libros* à papâ notatos cenſurâ & condemnatos, tanqvam impios, ſcandaloſos, & hæreticos, Jeſuitas tamen non obſtantibus rigidis his cenſoris defendere eos, & per ſuos bibliopolas venum exponere.

XXXII. Doctrinæ probabilitatis modo adductæ addam adhuc aliam ſimiliter ab his hominibus ſtrenuè excultam, ut de vitâ & fide horum autorum magis conſtet. Dicitur ea methodus dirigendæ intentionis; qvæ profectò tàm impia eſt, ut nullum tàm enorme committi posſit ſlagitium, qvod non excuſari per illam, & tantùm non in genere licitorum haberi qveat. Hâc ratione inqvit Montaltius *epiſt.7.* cædes, percusſiones ac cæteras defendendi honoris vias licitas effecerunt. Nihil enim aliud opus eſt, qvam ut animus abſtrahatur à cupiditate vindictæ, & ad tuendi honoris voluntatem conferatur. Alterum enim nefandum, alterum vitio caret. Sic Deo ſimul & hominibus ſatisfaciunt. Actûs ipſos expetunt homines, intentionem Deus, ergo hominibus actus, Deo intentionem concedunt, &c. In ſeqventibus oſtendit ipſisſimis verbis Sanctii, Eſcobarii, Molinæ, Reginaldi, Emanuelis Sa & aliorum, duellum licitè offerri poſſe, nedum oblatum accipi, licitum eſſe calumniatorem exitium nobis in judicio molientem clam & ex inſidiis interficere, nec illum tantùm, ſed etiam falſos teſtes ab ipſo productos, & ipſum etiam cum teſtibus judicem, ſi cum adverſariis noſtris ad perniciem noſtram conſenſerit; alapâ percuſſum cenſeri tamdiu honore privatum, qvamdiu adverſarium non interimat, & in his omnibus intentionem tantùm benè dirigendã eſſe. Exempla alia addit Wilh. Wendrockius *in not.* ubi ſimul artẽ benè dirigendi explicat: *Bona intentio*, inqvit, *illius, qvi propter alapam ſibi inflictam hominem interimit, eſt voluntas dandi ſigna excellentiæ & exiſtimationis apud homines captandæ. Bona intentio Viri nobilis, qvi contumelioſum ſibi pomum eripere molientem interficit, eſt voluntas retinendi pomi, & ſervandi honoris, qvem in pomo ſervando conſtituit. Bona intentio Viri militaris, qvi ad duellum provocanti ſe ſiſtit, eſt voluntas cavendi, ne exiſtimetur ab exercitu gallina & non Vir. Si te concupiſcentia non neceſſitas ad edendum extimulet, huic parere poteris, ſed qvâ intentione? ut appetitus ſuis actibus fruatur. Ab alio ad aliud beneficium tranſilire vis? Non improbat Suarez, modo tranſeatur tanqvam ad pinguius. Ornatum corporis ſumptuoſum optat mulier? licet, ob finem non malum,*

velu-

veluti ob naturalem faſtûs inclinationem. Famulos qvi turpibus nunciis funguntur, abſolvi poſſe docet Baunius, ſi hoc bonâ intentione faciant: ſed qvâ? Propter temporalem inqvit commoditatem &c. qvæ omnia ipſiſſimis Jeſuitarum verbis confirmat.

XXXIII. Hi verò ſunt contractûs illius, de qvo nunc agimus, propugnatores & Defenſores, qvos profectò ſatius fuiſſet Orbi nunqvam viſos fuiſſe, qvam ut ejusmodi integumentis & cavillationibus Deo & hominibus illudatur. Videamus autem, qvas Mohatræ contractui leges præſcripſerint, ut juſtitiæ ſpeciem habeat, & ne turpe qvid aut iniqvum excogitaſſe videantur. Juſtus eſt, inqvit Eſcobarius referente Montaltio *epiſt.*8 hiſce ſervatis: Nullum pactum nec explicitum nec implicitum adhibendum: precium, qvo venduntur merces, non ſit majus ſummo, & cum revenduntur, non ſit minus infimo. Molina reqvirit ulterius, ut merces non vendantur ex intentione infimo precio reemendi. Porrò Salas id non obſtare aſſerit, qvia ubi nihil ſupra ſortem in pactum deducitur, nec ſperatur in precium aut debitum de juſtitiâ pro mutuo nulla eſt uſura, etiamſi actuarium principaliter intendatur. Addit Leſſius *lib.2.c.21.d.16.* eum, qvi ex compoſito ita vendat, ut precio infimo redimat, etſi peccare poſſit contra charitatem, ut ſi cogat miſerum hominem emere merces, qvibus non eget, magno illius diſpendio, cum poſſit ille facile mutuum dare, non tamen teneri ad reſtitutionem, qvod intellige, inqvit, non teneri ex juſtitiâ, ſed fieri poteſt, ut teneatur ex charitate, ut ſi alter ſit pauper, ceſſante tamen paupertate illius non teneretur, qvia nec charitas, nec juſtitia illum obligat. Paulus Laymannus Jeſuita *in Theol. moral. lib.3. tr.4.c.16.n.16.* ita demum probat, & ab uſura immunem cenſet hunc contractum, ſi mercator bonâ fide & ſine uſurariâ intentione pannum vendidiſſet precio ſummo, videlicet 108 conſtituens in emptoris libertate revendendi cui vellet, emptor autē rogaret mercatorem, ut ipſemet precio minore videlicet aureis centum redimeret. Etenim, inqvit, multum refert, utrum mutuatarius cum mutuante alterum redemptionis contractum liberè in ſuum vel utriusq; commodum inſtituat, an verò cum involuntario mixto, qvia cogitur à mutuatore propter mutuo ipſi datum. Veruntamen, pergit ibidem, etiam hujus gravaminis alius juſtus titulus eſſe poteſt. Exempli cauſa: Si mercator ex mille aureis qvotannis centum

tum

Digitized by Google

tum lucraturus putetur, deductis impēdiis, fas eſt paciſci cum mutuatario: Dabo tibi mutuo duo millia auréorum, modo paratus ſis ſuo tempore compenſare lucrum mihi exinde ceſſans, vel ſi malis loco hujus compenſationis emas nunc à me pannos precio auctiore: modo hoc onus tali modo emendi compenſationi faciendæ æqvale ſit.

XXXIV. Sunt adhuc alia, qvæ colorando huic contractui facere videntur. Eſt enimverò tenera res, negociatio, qvæ nec leges nec regulas ſemper admittit, & fieri ſæpiſſimè ſolet, ut viliori precio vendantur, qvam emptæ fuerint merces. Qvid ergo criminis habet, merces emere? qvid criminis habet, eas revendere? Qvod n. diverſa conſtituantur precia, id tantum abeſt, ut vitium aliqvod in ſe contineat, ut potius per hoc ipſum negociatio ſuſtineatur, nec aliter conſiſtere poſſit. Qvod autem ipſi illi, à qvo emptæ fuerunt, revendantur merces, ideò reprehendi neqvit, qvia & pactum retrovendendi de jure probatum eſt, & integrum fuit emptori libertatem ſuam revendendi ad unam certam perſonam reſtringere *l.75.ff.de contr.empt.* Sed nec illud improbari poteſt, qvod in altera venditione fides habita fuerit de precio, in altera pecunia ſolvatur parata. Duæ enim & diverſæ qvia celebrantur venditiones, ſuis unaqvæq; terminatur conventionibus. Duæ etiam qvia ſunt relationes emptoris & venditoris, nec confundendæ ſunt earum fundamenta, nec rationes fundandi. Et qvid igitur delinqvit mercator, qvi fidem habet de precio, qvid ille, qvi merces emit pecuniâ numeratâ? Nec ſanè reprehendi debere videtur, qvod rem carius vendat, propter habitam fidem, vilius emat pecuniâ præſente. Minus enim ſolvit, qvi tardiꝰ ſolvit, *l.12.ff.de V.S.* ut adeò propter tarditatem & dilationem ſolutionis non injuſtè vero rei precio de præſenti æſtimato aliqvid addatur. Nec ipſa hæc venditionum combinatio monſtroſa videri poteſt. Præterqvā enim, qvod, ut ante dixi, pactum retrovenditionis minus eſt inſolitum, etiam ipſe hic mohatræ modus placere poteſt contrahentibus non intendentibus nec cogitantibus, & ita qvidem, ut nullum planè vitium in ſe continere qveat. Pone Titium emere merces aliqvas, qvæ rariores hodiè ſunt, centum aureis, fidemq; ei haberi de precio ad annum integrum, poſt dies ſex, ſeptem, tantâ copiâ advehi merces iſtas, ut dimidio vilius nunc emantur. Qvid faciat Titius?

D adit

adit venditorem ſuum Cajum, & non lucrum tantùm, qvod ex diſtractione mercium emptarum ſperaverat, ſibi interverti qviritatur, verum etiam damnum nunc dari ad dimidium precii conſtituti. Cajus, qvod miſereret Titii, cum ſummo jure non teneretur, recepturum ſe merces precio ſeptuaginta aureorum promittit. Titius ita deberet adhuc triginta; ſed cùm vellet rei ſuæ familiari conſulere, nec inveniret, apud qvem fides ipſi eſſet, ut novo mercimonii genere tabernam inſtrueret, paratam petit à Cajo pecuniam, & ita tandem inter ſe conveniunt, ut Cajus merces ſuas recipiat precio ſexaginta aureorum illicò numerandorum, Titius centum, qvos ex primo contractu debet, ſolvat anno elapſo. Qvæſo, qvid hîc iniqvi? Cajus merces anteà à ſe juſtè venditas carius juſto nunc redimit. Titius hoc lucri habet, & qvod majus nunc accipiat precium, & qvod in paratâ ipſi id numeretur pecuniâ, qvâ profectò haud exiguum rei ſuæ ominatur augmentum. At hâc ratione nec Cajus nec Titius Mohatram contractum intendérunt, qvi tn. reverâ ab ipſis celebratus eſt. Dum ergo contractus talis ab imprudente & non cogitante initus vitio caret, vitiũ certè non concipiet ex præviâ animi deſtinatione & προαιρέσει. Et iſta qvidem pro defendendo hoc contractu utcunq; diſputari poſſunt.

XXXV. Reſtat, ut videamus de ejus valore nunc accuratius. Id qvod fieri poteſt, ſi præjudiciales aliqvas qvæſtiones probè examinaverimus, qvippe in qvas reſolvi videtur totũ negocium. Ante omnia autem diſpiciendum eſt, utrum carius juſto vendere liceat rem qvæ proſtat, cum in contractu emptionis venditionis inter neceſſaria reqviſita habeatur juſtitia precii ex proportione reſultans. De qvâ re ut accuratior ſit tractatio, præmittendum eſt, juſtum precium in qvo conſiſtat, & unde juſtitia iſta ſit petenda, cum diſpar plerumq; contrahentium ſit intentio, & emptor viliore comparandi, venditor cariore diſtrahendi votum gerentes ad hunc contractum accedant, vixq; poſt multas contentiones paulatim venditore de eo, qvod petierat, detrahente emptore autem huic, qvod obtulerat, addente, ad certum conſentiant precium, l. 8. *C. de reſc. ind. vend.* Nec tamen illicò juſtum erit precium, qvod ita contendendo Emptor & venditor conſtituérunt, cùm juſtitia non ex conſenſu partium & conventione privatorum, ſed congruâ & proportionatâ habitudine rei ad rem æſtimari debeat.

qvan-

qvanqvam ut contractus propter qvalemcunq; exceſſum aut defectum reſcindatur, Leges civiles non admittant.

XXXVI. Iſtud in confeſſo eſt apud omnes, in juſtitiâ precii obſervari debere proportionem arithmeticam. quia ſicut in arithmeticâ proportione ſolum ſpectatur æqualitas diſtantiarum in numeris, ita in juſtitiâ commutativâ, juxta quam precium definiri oportet, ſolùm ſpectari debeat rerum permutandarum æqualitas, ſine reſpectu perſonarum: ut nimirum ipſi permutantes utrinque habeant æquales partes, & ſic neutra pars neque de lucro gloriari, neque de injuria vel de damno poſſit conqueri. Ariſt. *l.* 5. *Eth. cap.* 4. Sed hoc tamen ad definiendam qvæſtionem nondum ſufficit, quia ſcil. ex alio aliquo principio proportio iſta æſtimari debet. Iſtud verò quale ſit, & in quo conſiſtat, proportio ipſa non ſuggerit, ſed aliunde petendum eſt, & proportioni deinceps ſubſternendum.

XXXVII. Ut igitur certum quid definire hîc liceat, notandum *primò*, in æſtimandis rerum preciis non ſemper attendi earum naturam internam, quippe, quæ nobilior ſæpè eſt, quàm ut æſtimari queat, ſed conſiderari ut plurimùm vel uſum rei, vel externas aliquas circumſtantias, quæ pro re natâ precium augent vel minuunt. Quod ſi natura rei attenderetur, majoris valoris eſſe deberet muſca, formica, vel pulex, quàm precioſiſſima quæcunq; gemma; cùm vivum omne præſtantius in ſua natura ſit re quavis inanimatâ. Summenhart *de contract. tr.* 3. *qv.* 56. *ſuppoſ.* 2. Viciſſim, quia equus bellator non magis equus eſt, quam alius aliquis ſulcando agro deſtinatus, precium omnium idem eſſe deberet, ſi quidem nuda eorum ſubſtantia, nec aliud quid attenderetur. Sed quia rarior eſt gemma, quàm muſca, formica vel pulex, & equus bellator militi plus operæ præſtat, quàm equus arator, inde fit, ut etiam precia eorum exaugeantur.

XXXVIII. Non tamen faciendum propterea eſt cum illis, qui precia rerum ex ſolâ opinione hominum conſtitui contendunt. Etſi enim non negem, multum quandoq; in hoc negocio poſſe affectionem, quam quis erga rem gerit; nego tamen, quod quis ita ponit, juſtum eſſe rei precium. Quin nec affectio iſta in ſolâ opinione ſemper conſiſtit, ſed fundamentum habet vel in uſu & utilitate, vel in elegantiâ rei, quam utramq; tamen alius fortaſſe tanti non

reputaret. E. g. rei eqveſtris ſtudioſus permagno æſtimabit eqvum generoſum, qvem, ſi ruſtice opus conficiendum foret, minimi putabit agricola. Qvid ita? qvia ſc. uſui, qvem agricola intendit, minimè aptus eſt eqvus iſte generoſus. Ita inſtrumentum muſicum non unius æſtimabitur aſsis ab eo, qvi muſicæ rei fuerit ignarus, cum à perito tantum non pro inæſtimabili qvandoq; habeatur. Sed in his tamen rebus opinionem hominum ſæpè maximam partem facere agnoſco. Qvid enim eſt, qvod decuplo pluris qvandoq; æſtimetur inſtrumentum hoc muſicum, qvàm aliud aliqvod cæteroqvin nec rude, nec ſoni inconditi aut incompti? Et qvid eſt qvod ſonum ſvaviorem tàm exactè dimetiri qveat, ut decuplo eum præſtantiorem alio dicere liceat? Qvid eſt, qvod eqvi bonitatem tàm determinatè commendet, ut vigecuplo auctius conſtitui oporteat precium? Hîc enimverò ſuas facere partes videtur opinio, qvam qvi in rebus voluptuariis, uti ſunt exempla data, non agnoſcit, qvid inter homines geratur, nondum ſe cognitum ſatis habere, profitetur. Conficiunt autem hinc Moraliſtæ. Res ad vitæ ornatum ſeu delectationem pertinentes non habere precium naturale certum, ſed tantum poſſe vendi, qvantum poſsit venditor citra fraudem extorqvere, aut qvantum Emtor ſciens & prudens voluerit dare. Dominic. Soto *de juſt. & jur. lib. 6. qv. 2. art. 3. circa fin.* Franc. Tolet. *in inſtruct. Sacerd. l. 1. c. 48.* Alii tamen cum Leſsio *l. 2. c. 21. dub. 3. n. 26.* & Gregorio de Valent. *tom. 3. diſp. 5. qv. 20. p. 2* id non admittunt, ſed res eas vendi debere judicio & æſtimatione prudentis Mercatoris, & rectè qvidem contendunt. Vid. Antonin. Diana *in ſumm. vocab. precium n. 1.* Multum tamen adhuc eâ in re valere opinionem totô die experimur.

XXXIX. Notandum *ſecundò*, precia rerum, uti modò dixi, non ex affectu, nec utilitate ſingulorum ſed communiter fungi, uti legitur *in l. 63. ff. ad L. Falcid.* Vid. Oſvvald. Hillig. *in Donell. enucl. l. 8. c. 24. lit. L.* Franzk. *l. 3. reſolut. 2. n. 59. 60.* Tanta enim eſt qvorundam in rem ſuam affectio, ut in infinitum propter eam jurare, non invitâ juris prudentiâ, liceat, *l. 4. §. 2. ff. de in lit. jur.* Infinitum tamen iſtud qvomodo accipiendum ſit, optimè explicat Franciſcus Duarenus *ad tit. de in lit. jur. n. 27.* & Phanuccius *de jurejur. in lit. part. 1. memb. 4. n. 37.* nempe pro eo, qvod certum ac definitum non eſt. Qvomodo etiam Mathematici lineam in infinitum ducere jubent tùm, qvando

do

Digitized by Google

do nullum certum præfigunt terminum. Hactenus ergò, qvia propter affectionem rerum precia exaugentur, juſtam & proportionatam dicere iſtiusmodi æſtimationem nemo qviſqvam poterit; poſtqvam etiam affectione inter mortuâ æſtimationi ſimul totũ iſtud, qvod nimium fuit decedit. Atq; ex hoc infertur porrò, nec iſtud qvidem juſtum eſſe precium, qvod emptor ex calore conſtituit. Alvar. Valaſc. *conſult. 43. n. 11.* Fieri enim id poteſt vel ex affectione in rem, vel ex æmulatione alterius alicujus, qvi ſimul licitatur. Uterq; affectus judicium corrumpit, & idcircò proportionatum facere precium neqvit. Qvocirca, ſi qvis dixerit, tanti à ſe rem emptam fuiſſe, & tantidem revendi debere, nihil aget, niſi juſtitiam precii à ſe conſtituti aliunde probet. Utut enim admitti poſſit, reſpectu offerentis hujusmodi precium non omninò injuſtũ eſſe, qvatenus ille ſpontaneâ oblatione proprioq; affectu illud pro juſto agnovit & approbavit; ſimpliciter tamen juſtum perhiberi poteſt. Andr. Kohl *exercit. 11. n. 4.* Fab. de Monte *de empt. qv. 8. n. 25.*

XI. Notandum *tertiò*, precium, qvod juſtum fuit eo tempore, qvo res recens erat, & noviter comparabatur, injuſtum hodiè eſſe poſſe, ubi eadem res denuò fuerit vendenda, utcunq; nec detrita ea ſit, nec corrupta. Nec enim unqvam ædes, qvas extruxiſti ipſe, tanto vendere poteris, qvanto tu eas primùm ædificaſti. Indue veſtimentum bis terve, multum decedet de precio. Iſta autem ferè hominum eſt perſvaſio, rem, qvæ jam ante in uſu fuit, vel detritam nunc eſſe, vel latente aliqvo vitio laborare, vel ex inopiâ venditoris venum exponi. Qvodcunq; horum præſupponatur, non exiguum qvid pretio detrahet, & vix dimidium qvandoq; ejus qvod olim fuerat relinqvet. Et huc facit, qvod Sereniſſimus Saxo in judiciali taxatione modum iſtum præſcripſerit, daß bey ſolchen Tax/ wenn die Häuſer in den Städten und andere Güter angeſchlagen/ nicht auff das/ was ſie etwan von neuen zu zeugen gekoſtet / dadurch offtmahls der Tax zur Unbilligkeit geſteigert wird / geſehen werden ſolle etc. Vid. Proceß und Gerichts-Ordn. *tit. 39. §.* wenn aber. Ita etiam minoris valet merx, cum rogatur Emptor, qvam cum rogatur venditor juxta illud vulgatum: *ultroneæ merces vileſcunt*; qvo fit, ut idem pannus & idem liber majoris valeant in tabernâ mercatoris, qvàm in manu proxenetæ qværentis emptorem, & longè minoris valeant ſpolia, qvæ victor vendit ſtatim à direptis ho-

ſtium caſtris,qvàm alia ejusdem generis,qvæ etiam à proxenetis deferuntur vendenda urbibus pacatis. Martin.ab Azpilcueta Na-varr.*tom.3.c.23.n.78.* Et ex hoc aliqvi in ſubhaſtationibus tantam precii naturalis faciunt latitudinem , ut rem duplo pluris vendi aut minoris emi poſſe contendant. Antonin Diana *in ſumm.vocab. pretium n.3.* Id verò in foro qvidem externo tolerari poſſe non renuo,ſed in conſcientiæ foro tale qvid aſtrui debere non arbitror.

XLI. Concludendum ergò illud eſſe juſtum precium,qvod qvilibet extraneus rei & ejus qvalitatum probè gnarus dare paratus eſt. Alvar. Valaſc.*d.l.n.4.* Prukman *vol.1.conſ.4.n.120.* cum nulla res pluris aut majoris precii ſit,qvàm prout emptorē invenit. Matth. Coler.*de proceſ.executiv.part 3.l.9.n.111.* Petr.Nic. Mozz. *de empt. & vend.tit.de ſubſtantialib.n.30.* Andr.Kohl.*exercit.11.n.4.* Barth. Socin. *reg.427.* Franc.Card. Mantica *Lucubrat.Vatican.lib.4.tit.20.n.6.7.8.* Martin.Azpilcuet.Navarr.*d.l.* Sed hîc tamen probè diſpiciendum eſt,ne ex momentis temporum precia conſtituantur *l.63.in f.ff. ad L.Falcid.* ſed imò ex pluribus diebus, qvæ antecedunt & ſeqvuntur,de juſtitiâ precii judicari debet. Maſcard. *de probat.concl.1396. n.35.36.* Berlich.*part.1.concluſ.83 n.20.23.* Tiraqvell.*tr.de judic.in reb. exig.ferend.fol.81. verſ. decimo ſeptimo.* cum fieri poſſit, ut aliqvo temporis momento veniat , qvi nimio rei amore corruptus plus juſto licitetur. Solet etiam iſtud qvandoqve juſtitiam precii dubiam reddere,qvod non deſint,qvi poſtqvam vendita jam res fuerit,plurimum de voluntate ſuâ jactitant,tantum ſc. dare ſe voluiſſe,ſi qvidem venalem rem fuiſſe compertum habuiſſent. Qvibus eqvidem ut fidem habeat, induci vix poterit rerum humanarum peritus,tantum abeſt,ut ex temerariâ ejusmodi jactantiâ de juſtitiâ precii certum qvid ſtatui qveat. Alv.Valaſc. *d. conſult. 43.n.13.* Maſcard. *de probat.concluſ.1225.n.15.*

XLII. In bonis immobilibus hoc ferè obſervatur,ut & qvalitas eorum & qvantitas redituum probè examinētur, *l.16. C.de reſcind. vend.l.13.in f.pr.de reb.cor.* & ex horum inter ſe collatione juſta initur deinceps rei æſtimatio. Non eo minus tamen æſtimanda ſimul ſunt ea,qvæ nullius ſunt reditûs,utputa caſtra,turres,ædificia, cùm non ad perceptionem tantùm fructuum, ſed & conſervationem eorundem, imò & ad perſonarum commodā habitationem reſpiciendum ſit. Boer.*deciſ.19.n.1.* Anton.Faber. *Cod. lib.4.tit.30.*

def.

Digitized by Google

def.2.n.4. In reditibus autem computandis plerumq; viginti ſimu-anni connumerantur, & qvi qvovis anno fuerint proventus, in u-nam maſſam ſive ſummam rediguntur, qvâ poſtea per viginti diviſâ, qvod inde provenit, pro reditu unius anni habetur. Coler. *de proceſſ. execut. part. 3. c. 9. n. 148. ſeqq.* Berlich. *part. 1. concluſ. 83. n 44. ſeq.* Franzk. *l. 3. reſolut. 2. n. 24.* Aleman. *conſultat. 8. qvæſt. princ. 1. partic. 12. p. m. 500.* Köppen *deciſ. 44. n. 30.* Ratio eſt, qvia qvantitas redituum non eſt certa nec uniformis, & hinc neceſſe eſt, ut ubertate unius anni ſterilitas cæterorum compenſetur, *arg. l. 8. C. de locat.* Sed qvia, poſtqvâ ita computatio facta eſt, adhuc tùm de æſtimatione redituum ratio ineunda eſt, ut ad capitale aliqvod, uti vocant, perveniatur, rectè monent Doctores non reſpiciendum eſſe ad tempus cariſtiæ; neqve ad annos ubertatis & fertilitatis, ſed ad tempus commune & qvaſi intermedium, Coler. *d. l. n. 154.*

XLIII. Qvanqvam verò ex computatione tali juſtum reſultare precium credi poſſet, tales tamen vel in re ipſa intrinſecè, vel extra rem ſeſe offerunt qvandoq; qvalitates, ut ex precio ita connumerato multum adhuc detrahi oporteat. Ecce enim dum ex incurſu hoſtium undiq; devaſtatur provincia, factum ſæpe eſt, ut & Dominus conſervando ſuo prædio ſufficiens non eſſet, & Emptorem tamen invenire non poſſet. Qvo caſu vix qvintam ſæpe partem, ſæpè etiam minorem venditores acceperunt ejus, qvód ab initio, dum qvieta eſſet poſſeſſio, conſtitutum fuit. Nec tamen propterea reſcindere ipſis contractum venditionis licet, qvod ſeqvioribꝰ temporibꝰ & pacato rerum ſtatu carius nunc æſtimetur prædium. Siqvidem juſtitia precii non ex hoc tempore definienda eſt, ſed ex tempore contractus, qvanti ſc. eo tempore vendi potuit. *l. 8. in f. C. de reſc. vend.* Anton Fab. *Cod. l. 4. tit. 30. def. 2.* Frantzk. 3. *reſol. 3. n. 27.* At vendi aliter non potuiſſe, qvam precio eo, qvod illo tempore conſtitutum fuerat, præſupponimus.

XLIV. Pari modo ſitus loci temporum viciſſitudo, rerum copia aut raritas, emptorum paucitas aut multitudo multum facit ad æſtimationem vel augendam vel minuendam. Coler. *de proceſſ. execut. p. 3. c 9. n. 140.* Köppen *deciſ. 44. n. 27.* Nec enim tantidem Romæ & in Hiſpaniâ oleum æſtimabitur, nec continuis ſterilitatibꝰ tantidem, qvanti ſecundis fructibus. *l. 63 ff. ad l. Falcid.* Ita etiam minoris emitur fundꝰ, qvi malum habet vicinum. *l. 35. in f. ff. de contr.*

empt.

Digitized by Google

empt. Franc. Zoannett. *de empt. & vend. n. 50.* Joh. Coraſ. *miſcell. l. 1. c. 20. n. 5. 6.* Moller. *part. 2. conſt. 34. n. 6.* Gail. *2. Obſ. 69. n. 20.* Berl. *1. concl. 83. n. 58.* item qvi onus habet annexum, *l. 79 ff. de contr. empt.* Alvar. Valaſc. *conſul. 79. n. 4* Reinkingk. *de retract. qv. 8. n. 138.* ut ſi fundus fuerit emphyteuticus per emphyteuſin temporalem, *Berlich. d. l. n. 65.* aut ſi redimibiliter & cum pacto retrovenditionis ematur. Franc. Zoannett. *d. l. n. 80.* Stephan. Gratian. *diſcept. for. c. 258. n. 37.* Petr. Sanz Morqvech. *de bonor. diviſ. c. 8. n. 8.* Ant. Fab. *Cod. lib. 4. tit. 30. def. 27. & 28.* Reinkingk. *d. l. qv. 5. n. 14. ſeq.* Moller. *p. 2. conſt. 32. n. 57.* aut ſi res fuerit litigioſa, qvæ venditur. Joh Bapt. Coſta *de remed. ſubſid c. 50. n. 8. 9.* Berlich. *d. l. n. 68.* item, ſi ager non cultus, non fundatus, non exercitus fuerit, ædificia non benè tecta, & ſimilia alia. Qvibus omnib9 hoc efficitur, ut minoris æſtimare neceſſe ſit fundum, qvàm ſi iſta talia abeſſent.

XLV. E contrario fieri poteſt, ut propter circumſtantias augeatur precium, aut ſaltem ſub alio nomine aliqvid ſuperpondii loco precio addatur. Ita, ſi qvis domum, qvam inhabitat, vendere cogatur, animadvertendum erit, non ſolùm ad juſtum precium, ſed an ipſe hujusmodi precio comparare ſibi poſſit domum non minus commodam, extructam in æqvè ſalubri amœno & opportuno loco hujusmodi pretio, & ſi plus impendendum erit, debet illud, qvi cogit, præſtare & offerre; Immò ſi venalis non reperiatur domus, oporteatq; eam ædificare, ſumpt9 omnes ille, qvi cogit ſubminiſtrare & offerre debet, & inſuper tot aureos ſingulis annis, qvod erunt neceſſarii, ut conducat domum idoneam, opportunam & æqvè ſalubrem ac pulchram, ut eſt domus, qvam vendere coactus fuit, qvousq; nova domus fuerit conſtructa, & poterit ſalvâ valetudine inhabitari. Ant. Merend. *lib. 1. controv. c. 30. n. 18.* Add. Garſ. Maſtrill. *deciſ. 17.* Sigiſm. Scaccia *de commerc. §. 1. qv. 7. p. 2. ampl. 10. n. 62.* Ita porro qvi rem venditam jure proximitatis vel agnationis retrahit, idem illud precium, qvod emptor vel jam dedit, vel dare paratus fuit, etſi juſtum rei precium excedat, dare debet. Andr. Tiraqvell. *de retract. lign. §. 1. gloſſ. 18. n. 4.* Andr. Kohl *excerc. 11. n. 23.* Hartm. Piſtor. *p. 2. q. 12. n. 19.* Moller. *p. 2. conſt. 33. n. 1.* Baldaſ. Benedell. *de jur. protimiſ. §. inprimis n. 63. ſeq.* qvia retrahens per qvandam juris ſurrogationem ſuccedit in locum emptoris & perinde habetur, ac ſi ipſe emiſſet. Reinking. *de jur. retract. qv. 6. n. 123.*

XLVI.

.amen
o etiam
linem.
et pre-
toral.l.3.
n-
ciſc. Toletan *ſ.4.*
n.103. nec poteſt accidere, ut res præciſè centum valeat, non plus, aut minus. Valet enim centum precio medio, precio ſupremo centum & qvinq;, precio infimo nonaginta qvinq;, & in triplici hoc precio nulla creditur inter contrahentes eſſe iniqvitas, Didac. Covarruv. *l.2.var.reſol.c.3.n.*1. Alvar. Valaſc. *conſult.44.n.*1. Qvamvis enim æqvalitas naturalis ſecundum naturam ſtet in indiviſibili inter emptum & venditum, ſicut lingva libræ ſtat perpendiculariter inter duo brachia libræ æqvaliter ponderantia; tamen ex parte noſtrâ medium illud eſt diviſibile, qvia non poſſumus ſingula ad ungvem æſtimare. Conrad. Summenhart *de contract. qv. 56. concl.5.* nec poteſt juſtitia & prudentia humana illas omnes circumſtantias & qvalitates rei vendendæ ita metiri, ut precii metam poſſit inde punctualiter attingere. Sig. Scaccia *de commerc. §. 1. qv. 7. part. 2. ampl.10.n.*102. Qvia verò etiam latitudo precii ad certam aliqvam qvantitatem reſtringi vix poteſt, (qvanqvam ſint, qvi in valore centum aureorum latitudinem faciant 10. ab 95. ad 105. in valore autem 10. aureorum 3. à 9. ad 11. Antonin. Diana *in ſumm. vocab. precium*) non malè totum id cujusqve committitur conſcientiæ, ut non pluris vendat, qvod ſuum eſt, qvàm bonâ fide credat valere pro loco & tempore, & ſimiliter non minoris emat. Summenhart. *d.l.*

XLVII. Qvod ſi qvis conſcientiæ ſuæ dictamen ſeqvi nolit, ſed vel carius vendat vel viliꝰ emat, qvam ipſemet ex ſe æſtimaverit, leges civiles propterea venditionem non reſcindunt, niſi magnus aliqvis exceſſus aut defectus fuerit. Valet enim hîc, qvod Pomponius ait, in precio emptionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus ſe circumvenire *l.16.§.4.ff.de minor.* ſive ut Paulus explicat, in emendo & vendendo naturaliter conceſſum eſſe, qvod pluris ſit, minoris emere, qvod minoris ſit, pluris vendere, & ita invicem ſe circumſcribere *l.22.§.3.ff.locat.* non qvod juri naturæ id

conve-

Digitized by Google

contve
ſolertiæ
emptor
vender
miſſæ,c
qv
ac re cenſentur, illudqve per leges civiles litium vitandarum gratiâ,& ne omnis obligatio emptionis & venditionis ſemper ſit in incerto, toleratur. Vultej. *ad pr.n.24.Inſtit.de Empt.& vend.* And. Perez *Cod. de reſcind. vend.n.5.*Carol. Molinæ. *de uſur.qv.14 n.*171 Didac.Covarruv. *l 2.var. reſol.c.3.n.2.* Nic Boër.*deciſ.*142 Franzk. *ad Digeſt. tit. de contr. Empt. & vend.n.*232.& *l.3.reſol.2.n.3. & exercit.*11.*qv.*3.Dn.Tabor.*de alt.tant. p.3.art.4.n.*12. Dolum autem ex propoſito intervenientem leges civiles haudqvaqvam tolerant,*l 13.§.4 & 5.ff.de act.empt.* Et hinc diſtingvere qvidam ſolent inter deceptionem provenientem ex induſtria deceptivâ,ut tunc pro qvavis etiam minima deceptione detur remedium decepto,& inter deceptionem provenientem ex induſtria negociativa,ut tunc non detur remedium, niſi excedat dimidium juſti precii.Sig.Scaccia *de commerc.*§.1 *qv.7. part.* 2. *ampl.* 10.*n.7.* Num verò in foro conſcientiæ circumventio,qvæ ita jure civili permiſſa,eſt,excuſari qveat,Vid.eleganter Franzk.*ad ff,d.l.*Boër. *dict.deciſ.*142.Dn.Hahn. *Obſerv.in Weſenb.de contr.empt.n.12.*

XLVIII. Qvibus ita poſitis opportunum nunc eſt definire qvæſtionem,num emptor poſſit rem certo precio emptam cariùs revendere? Qvi ſtatum hominum ex ſimplicisſimis vivendi generibꝰ metiuntur,mercaturæ & negociationi non uſqve adeò benè cupiunt,qvippe qvæ unicum ferè eum habet ſcopum, ut viliori precio emat,cariori revendat. Ariſtoteles *lib.1.polit.c.8.& 9.* dividit artem rei parandæ in duas principes & ſummas ſpecies, naturalem & artificioſam. Naturalem vocat curam & ſtudium circa alimenta, qvæ ſuppeditant fructus & animalia. Artificioſam κατ' ἐξοχὴν vocat χρηματιστικὴν, qvòd non naturâ, ſed experientiâ,& qvadam veluti arte inventa ſit. Hujus iterum duo conſtituit genera, alterum antiqvisſimum, qvod fuit permutatio rei cum

re,

re,atq; id non niſi ea,qvæ ad uſus vitæ neceſſarios faciunt, olim ſe-ctabatur; recentius alterum,qvod fuit permutatio rei cum nummo. Natum deinceps ex ultimo hoc tertium aliqvod genus, qvod Ariſtoteles καπηλικὸν vocat,ſive cauponium. Permutatione enim rei cum nummo ſemel cœpta & expedita faciliq; poſtea facta evenit,ut aliqvi præter rem,qvâ indigebant,etiam lucellum qvoddam ex illa permutatione qværerent. Atq; hinc permutare homines non amplius ob indigentiam,ſed ob locupletationem didicerunt. Hanc autem lucrandi artem in qvâ potiſſimum negotiatio verſatur; Ariſtoteles *cap.10.* & præter naturam & maximè vituperio dignam eſſe contendit,eò qvod non ex iis rebus acqvirit, qvæ à natura ſunt factæ,ſed ἀπ' ἀλλήλων h.e. ab hominibus,dum alter alteri eripere nummos ſatagit. Vid. Mich. Piccart. *ad d. l. Ariſt.* Carol. Molin. *de uſur.n.532.*

XLIX. In Jure Canonico extat palea,qvæ incipit,*ejiciens,diſt.88.* & deſumpta eſt exChryſoſtomi homiliis ſuper Mattheum,peſſima ſentiens de Mercatoribus: *Ejiciens dominus vendentes & ementes de templo,ſignificavit,qvia mercator nunqvam poteſt Deo placere, & ideo nullus Chriſtianus debet eſſe Mercator,aut ſi voluerit eſſe,projiciatur de Eccleſia.* Qvæ qvidem verba ex aliâ paleâ,qvæ Caſſiodori eſt, ſub eâdem diſtinctione, ita explicari poſſunt,ut intelligantur negociatores,qvi juſtitiam Dei minimè conſiderantes per immoderatum pecuniæ ambitum polluunt merces ſuas, plus perjuriis onerando qvàm preciis; ſed fuiſſe tamen Chryſoſtomum Mercatoribus paulo iniqviorem, ſi verba accuratiùs attendantur, dubitandum non eſt. Ita enim in dictâ paleâ ſeqvitur: *Qvicunq; rem comparat, non ut ita integram & immutatam vendat,ſed ut materia ſibi ſit inde aliqvid operandi, ille non eſt negociator. Qvi verò rem comparat, ut integram & immutatam vendendo lucretur,ille eſt mercator, qvi de templo DEI ejicitur.* In genere igitur de Mercatoribus loqvitur Chryſoſtomus, & cenſuram paulò acerbiorem de iis facit. Neq; id mirum videri debet,cum difficile ſit, ipſâ conſentiente Scripturâ, mercatorem manus à ſcelere puras habere. Qvin & ipſæ Leges Romanæ non tantùm ordini mercatorum omnes aditus ad honores & imperia præcluſerunt,*l.5.C.de dignit.lib.XII.l.12.§.3.C.de cohortalib.lib.eod.*ſed etiam nobilium ordini æqvè interdixêrunt negociationem *l.3.C.de comm.* ac mercatoribus militiam *l.un.C.negociatores ne milit.* ut non

fruſtra ſint, qvi Romanis Imperatoribus aut ſordidam aut non ſatis honeſtam viſam fuiſſe mercaturam perſvaſum habent, qvo facit *l.7.C.de inceſt.nupt.* & *l.44.ff.de adil. edict.*

L. Cicero *lib.1.offic.circa fin.* cum ſordidos dixiſſet eos, qvi mercantur à mercatoribus, qvòd ſtatim vendant, iſtam ſubjicit diſtinctionem: *Mercatura, inqvit, ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt, ſin magna & copioſa, multa undiq; adportans, multisq; ſine vanitate impertiens, non eſt admodum vituperanda: atq; etiam ſi ſatiata qvæſtu, vel contenta potius, ut ſæpè ex alto in portum, ex ipſo portu ſe in agros poſſesſionesq; contulerit, videtur jure optimo poſſe laudari.* Eum ſeqvuntur plurimi JCti, vid. Andr. Tiraqvell. *de nobil.c.33.n.10.* ſed, ut mihi qvidem videtur, ſine ratione ſufficienti. Non enim qvantitas vitium aut ſorditiem detergere poteſt, ſed animus & affectus negociatoris. Et poteſt mercatura, qvæ in rerum magnarum magniqve ſumptûs negociatione verſatur, major qvidem, ſed non melior videri. Kirchner *de Rep.diſp.13.th.1.* Et qvis mihi definiet eam qvantitatem, qvæ ſordes eluere qveat? cum præſertim nulla tàm magna detur copia, qvâ non major aliqva reperiri posſit. Vivitur in civitatibus opulentis, vivitur etiam in municipiis & oppidulis. Utrobiq; ut merces advehantur aliunde, neceſſe eſt, ſed pro cujusqve modo. Qvi Kembergæ negociatur, magnam & copioſam videri poteſt pro ratione ejus loci exercere negociationem, atq; eam ex Ciceronis ſententiâ ſine vituperio; Tantam autem ſi Amſtelodami exerceret, ſordidus eſſet & vituperandus, qvia ſcil. tenuis eſſet & anguſtæ tabernæ inſtitor. At verò fieri poteſt, ut qvi Amſtelodami copioſè negociatur, plus ſordium contrahat, qvàm in paupere ſuâ tabernâ inſtitor aliqvis Kembergenſis. Qvin imò qvi in majoribus emporiis ideò mercatur à mercatoribus, ut civibus ſuis in oppidulis revendat, non magis mihi videtur ſordidus eſſe, qvàm qvi ex Indiis onuſtas advehit naves, ut Amſtelodami revendat. Qvæ enim proportio eſt negociationis ex Indiis ad ejusmodi emporium, ea eſt negociationis ex Emporio ad oppidulum; & uti laudandi ſunt, qvi merces Amſtelodamum vehunt, ne civitas egeat, ita laudandi ſunt, qvi porrò eas in oppidula vehunt, ne & illa egeant, utcunq; minutatim hi, illi agminatim vendant. Non omne ſolum αὐταρκὲς eſt & proinde neceſſe eſt, ut ei ex aliorum opulentiâ ſubveniatur, cuiq; tamen pro facultatibus habitatorum. Qvi copioſè rem ſuam familiarem inſtruunt

ſtruunt, numero qvidem verum cives tenuiores ſuperant; contractus tamen ineunt prorſus eosdem. Et ergò qvi plus emit, aut plus vendit, non alium celebrat contractum, qvàm qvi minus emit aut vendit. In qvo igitur verſabitur ſordities? aut unde naſcetur vituperium?

LI. Alii, inter qvos Sigiſmundus Scaccia *de commerc. §. 1. qv. 1. n. 82.* & Franzkius *exerc. 11. q. 3. n. 32.* non malè diſtingvunt inter fines negociationis, qvatenus ea ſuſcipitur vel propter lucrum ordinatum ad aliqvem effectum neceſſarium aut honeſtum, puta ad ſuſtentationem ſuæ familiæ, item propter publicam utilitatem, ne ad victũ neceſſaria deſint; vel qvatenus ſuſcipitur propter ſolum lucrum, non ordinatum in finem bonum; ita ut priore caſu vituperari mercatura neqveat, poſteriore vero omninò reprehendenda ſit, cum immoderatâ habendi cupiditate & avaritiâ peſſimè contaminetur. Franciſc. Tolet. *in inſtruct. Sacerd. l. 8. c. 53.* Ad hunc poſteriorem pertinent illi, qvi tempore meſſis vel vindemiæ non neceſſitate, ſed propter cupiditatem comparant annonam vel vinum, v. g. de duobus nummis comparant modium unum, & ſervant, usq; dum vendatur denariis qvatuor aut amplius, *c. qvicunq; 14 q. 4.* Utcunq; enim hi eum etiam habere poſſint finem, ut familiæ ſuæ lucro ejusmodi conſulant, principaliter tamen cariſtiam intendunt, & ex hoc flagellatores annonæ meritò audiunt, qvorum avaritiæ apud Romanos tam mandatis qvàm conſtitutionibus non unis vicibus obviam itum eſt, *l. 6. ff. de extraord. criminib.*

LII. Ut verborum faciam compendium, ſtatuendum omninò eſt, mercaturam in ſe & ex ſe eſſe rem planè indifferentem, fieri autem bonam aut malam ex fine, qvi plerumq; actiones morales determinat, tum & ex aliis circumſtantiis. Nec tamen in vitio eam illico eſſe, ſi lucri cauſâ inſtituatur, dummodo illud ab aliqvâ aliâ cauſâ ulteriore honeſtâ aut utili temperetur. Niſi enim lucrum aliqvod inde capere liceret, nemo qviſqvam eſſet, qvi ſubire ejusmodi moleſtias animum induceret. Et intereſt tamen Reip. ex alterius provinciæ abundantiâ ſuam ſublevari inopiam. Qvâ ratione etiam Clericis mercaturam honeſtati conſciam permiſit Imp. Conſtantius *l. 2. C. de Epiſc. & Cler.* Qvocirca ſalvâ conſcientiâ poterit ille, qvi viliori pretio emit, alibi carius revendere, computando ſcil. precium ipſum qvod dedit, expenſas, curas & ſollicitudines, ut & damna

9

Digitized by Google

qvandoqve, & pericula itidem tam rerum ipſarum qvàm perſonarum, Scaccia *de commerc. d. §. 1. q. 1. n. 73.* Dn. Hahn *Obſ. in Weſenbec. de contr. empt. n. 4.* Lucrum autem ita computatum, ne juſtitiam precii, de qvâ ſupra diximus, excedat, accuratè advertendum eſt; Ut enim carius juſto merces ſuas qvis vendat, ipſam arbitror prohibere juſtitiam naturalem, qvæ tamen qvàm difficulter hodiè inter negociandum obſervetur, qvotidiana docet experientia. Vid. Conrad. Summenhart *de contract. qv. 50. & 51.* Sed neq; hoc tamen dicimus, licere Mercatori in omni caſu lucrum qværere. Qvid enim ſi ex ſtultitia rem, qvæ centum valet, altero tanto, aut adhuc cariùs emerit? Qvid, ſi tempore careſtiæ rem emerit, & reſervaverit, usq; qvò precium ejus diminutum fuit? Utroq; ſanè hoc caſu aut non reperiet emptorem, aut minus accipere tenebitur eo, qvod ipſe dedit. Summenh. *qvæſt. 59.*

LIII. Cum verò negociatio toto die ita exerceatur, ut traditis mercibus fides habeatur de precio, & haud raro in longum differatur ſolutio, diſcutienda nunc etiam erit iſta controverſia, utrum propter dilatam ſolutionem, & qvod præſenti pecuniâ emptio fieri non poſſit, vendere rem liceat precio auctiore? Qvæ qvæſtio ſi ex jure civili decidi debeat, dubium non eſt, affirmativam ſententiam eligendam eſſe. Franc. Card. Mantic. *lucubrat. Vatican. l. 4. tit. 20. n. 46.* Qvippe hoc jure non in qvantitate ſolùm, ſed etiam in tempore minus aut plus intelligitur. Plus eſt enim ſtatim aliqvid dare, minus eſt poſt tempus dare *§. 5. Inſtit. de fidejuſſor.* Et hinc minus ſolvit, qvi tardius ſolvit *l. 12. §. 1. ff. de V. S.* ille verò plus petere videtur, qvi præmaturè petit *§. 33. Inſt. de action.* Etſi enim ipſum tempus non ſit in commercio, neq; ita temporis illius debitum per ſe exiſtere poteſt; temporis tamen compendium & utilitas in commercio eſt, noſtrumq; patrimonium & auget & minuit. Gœdd. *ad d. l. 12. n. 4. ff. d. V. S.* Unde plus præſtitiſſe dicitur debitor, qvi ante diem ſolvit, ſi ejus gratiâ tempus adjectum fuerit, ut commodum medii temporis ipſe ſentiret *l. 15. ff. de ann. legat.* Jure autem Canonico, improbatur ejusmodi venditio, qvæ ob dilatam ſolutionem precio fit auctiore, *c. conſuluit 10. X. de uſur.* (Prorogationem enim ſolutionis Canoniſtæ habent pro ſpecie mutui, qvaſi precium conventum receptum brevi manu eſſet emptori ſub uſuris creditum. Henr. Zoëſ. *tit. X. de uſur. n. 7.*) niſi veriſimiliter dubitetur, res qvæ vendita eſt pluris

vel

Digitized by Google

vel minoris valitura ſit tempore ſolutionis, nec venditor erat eam venditurus ante diem ſolutionis, per *c. in civitate 6. & c. navigant. ult. X. de uſur.* Hanc enim utramq; conditionem conjunctim requirunt Didac. Covarruvias *l. 2. var. reſol. c. 3. n. 6.* Franc. Tolet. *in inſtruct. Sacerdot. l. 8. c. 50. n. 4.* Henr. Caniſ. *de uſur. cap. 3.* Andr. Vallenſ. *in paratitl. jur. Canon. tit. de uſur. §. 1. n. 4.* Auguſt. Barboſ. *ad c. 6. X. de uſur.*

LIV. Non audet tamen Didacus Covarruvias *d. l.* damnare mercatores, qvi in nundinis merces, qvæ ſolent freqventius vendi pecuniâ creditâ, qvàm numeratâ, vendunt carius precio ad certum diem ſolvendo, qvàm ſi ſtatim id numeraretur. Nam in his mercibus, inqvit, juxta communem hominum æſtimationem cum ad tempꝰ precio ſolvendo vendantur, juſtum precium illud aſſumendum eſt, qvod ad pecuniam creditam pertinet, propter hominum convictum, & mutuam permutationem, ſi qvidem non poſſint commodè emptores reperiri, qvi ſtatim numerato precio eas merces emerent. Ubi porrò agnoſcit, in maximum Reip. commodum cedere, ſicubi fides habeatur de precio. Juvatur iſta ſententia opinione eorum, qvi volunt, in creditum ire contrahentes eo caſu, qvando fides habetur de precio. Jacob Schultes *ad Modeſtin. Piſtor. part. 2. q. 60. n. 15.* Qvâ ratione decidenda res venit ex controverſia ſuperiùs agitatâ, utrum ſcilicet & qvo jure licitæ ſint uſuræ. Etſi enim per ejuſmodi conventionem mutetur natura contractuum, & ex judicio bonæ fidei deſcendatur in judicium ſtricti juris, id tamen abſonum non eſſe, & per pactiones contrahentium variari poſſe has qvalitates, oſtendit Bachovius *de action. diſp. 6. theſ. 12.*

LV. Alvarus Valaſcus *conſultat. 44. n. 4.* ita rem determinat, poſſe eum, qvi pecuniâ præſenti non reperit emptorem, niſi precio mediocri vel infimo, poſſe inqvam eum ſine reatu pro pecuniâ creditâ ad tempus vendere altiori precio, dum tamen non excedat ſummum precium ſeu latitudinem precii juſti. Sed determinatio hæc qvæſtionem ſtringere non videtur. Primum enim ſupra diximus, nullam rem pluris aut majoris precii eſſe, qvam prout emptorem invenit. Qvo poſito, non poteſt amplius mediocre dici precium in præſenti pecunia, qvo majus aliqvod non datur; ſed utiq; ſummum id nunc erit & omnium maximum, ut maximè anteriori tempore mediocre fuerit. Deinde non hoc qværitur, utrum propter dilationem ſolutionis liceat precio eo, qvod de præſenti

ſummum

Digitized by Google

ſummum æſtimatur, rem vendere; cùm permiſſum iſtud ſit ex doctrinâ Canoniſtarum etiamſi in creditum noneatur, Philipp. à SS. Trinitat. *in 2.2.tr.2.diſp.8.q.77.* ſed iſtud in diſceptationem venit, utrum propter dilatam ſolutionem rem vendere liceat eo precio, qvod etiam ſummum & omnium maximum excedit? Hoc ergo determinare debuit Valaſcus, non, qvod extra controverſiam eſt, ſaltem inter Moraliſtas, tanqvam ſingulare & notandum, proponere.

LVI. Alii aliter rem explicant, ſed plurimi eorum ſimul implicant, ut inter tot ſententiarum divortia facilè qvis in errores abduci qveat. Sigiſmundus Scaccia *de commerc.§.1.q.7.part.1.* ſecutus Medinam ſex enumerat cauſas, propter qvas liceat vendenti pecuniâ creditâ carius vendere, qvibus deinde addit ſeptimam (1) propter intereſſe lucri ceſſantis, (2) propter juſtum timorem futuræ litis, qvod Emtor ejus ſit conditionis, ut ſolvere non ſoleat, niſi judicio coactus. (3) propter periculum, ne Emptor interea fiat inops & facultatibus labatur. (4) propter conſvetudinem, qvod pluris valeat merx vendita ad tempus, qvam vendita pro pecuniâ præſenti. (5.) propter defectum emptorum, qvando non inveniantur, qvi mercem præſenti pecuniâ emant. (6) propter æqvitatem, qvia æqvum ſit, ut mercator propter labores, impenſas & pericula fructū reportet, reportare autem neqveat, niſi penſatis omnibus laboribus, impenſis & periculis lucretur 10. pro 100. & niſi pro expectatione ſolutionis precium adhuc augeat. (7) propter dubium valorem mercis venditæ tempore ſolutionis. Verùm enimverò; ut ab ultima hac cauſa incipiamus, nolunt eam Canoniſtæ admittere, niſi eo in caſu, qvo venditor ante tempus ſolutionis venditurus non erat, uti ſupra dixi. Tùm enim locum habet ratio, qvod propter dubium eventum augmenti & deminutionis qvoad precium; & emptor & venditor commodum aut incommodum ex eo contractu ſperare poſſint, adeoq; æqvilibre hoc dubium ſuſtinet & ſalvat contractum. Sexta cauſa principium petit, tùm qvod Mercatori 10. pro 100. lucrari definitè permittit, tùm qvod pro expectatione ſolutionis precium augeri poſſe determinat, id qvod tamen utrumq; controverſum eſt hactenus. Qvinta cauſa id tantùm infert, pecuniâ creditâ rem vendi poſſe, non autem vendi poſſe precio majore. Qvartam cauſam ipſe contendit Scaccia eatenus veram eſſe, qvatenus in ſe virtualiter habeat præcedentes; neq; enim ad conſvetudi-

Digitized by Google

ſuetudinem provocare licet, ſi in genere motum definire oportet, numqvid licitus ſit actus, an minus. Tertiam rectè impugnat Summenhart *quaeſt.59.* & Franciſc. Tolet. *in inſtruct. ſacerd. l.8. c.51. n.2.* qvia qvi timet ex cauſa superventuræ inopiæ periculum perdendi verum & juſtum precium, ex eâdem cauſâ timere debet periculum perdendi etiam illud, qvod plus fuerit, cum per ſtipulationem precii majoris non magis ſecurus reddatur. Nec igitur ſufficient qvinq; illa reqviſita periculi, qvæ ponit Antoninus Diana *in ſumma verb. vendere n.17.* Secundam cauſam non aliter admittit Summenhart *d.l.* niſi etiam lis fuerit ſecuta, aut aliàs factæ fuerint expenſæ; ſi igitur nullæ deinceps fiant expenſæ, qvas Creditor timuit, debere illum in termino ſolutionis iſtud plus detrahere, in qvo carius vendiderat ratione expenſarum. Cui ſententiæ accedit Martinus Azpilcuet. Navarr. *tom.3. c.23. n.83.* Nec dubium mihi videtur, multò plus impendi oportere in judicio adverſus ejuſmodi cerebroſum debitorem intentato, qvam fuerit iſtud, qvod ultra juſtum rei precium in ſtipulationem venit, ut cauſa hæc colorem potius aut integumentum aliqvod præbeat, qvàm ut repræſentet id qvod in veritate agitur. Remanet igitur ex omnibus illis hactenus recenſitis cauſis non niſi prima, qvæ exceſſum, de qvo agimus, excuſare & ſuſtinere qveat. Et ad hanc unicam ipſe deniq; *ſub n.84.* recurrit Scaccia.

LVII. Circa ſecundam cauſam adhuc longius progreditur Conradus Summenhart, & licitam qvandoq; putat ſtipulationem pluris, ut maximè nulla intentata fuerit lis & nullæ factæ expenſæ, ita ut nec detrahere qvidem oporteat id, qvod exceſſivum fuerit, tempore ſolutionis. Verba ejus ita habent, *d. qu. 59. Si tamen mercator à principio talis eſſet præparationis in mente, qvod qvamvis timendo expenſas facere, cogitaret poſſibile eſſe, qvod nullas eſſet facturus in effectu: & tamen nihilominus illud timeret, eſſet ſibi ita grave, qvod teſte conſcientia mallet carere illo pluri, in qvo carius vendit, qvatenus eſſet ab illo timore ſecurus, qvàm recipere illud plus & ſubire timorem: etiamſi contingeret eundem timorem non deduci ad effectum: non auderem talem condemnare, etiam in caſu, qvo in termino ſolutionis ſubtrahere nollet illud plus, in qvo carius vendidiſſet, qvia illud plus non acciperet pro expenſis, qvas timuiſſet facere, qvia nullas tales feciſſet, ſed pro perpeſſo timore & gravamine, qvod ita gravaſſet eum, qvod maluiſſet illo pluri caruiſſe. Nam tunc non cenſetur, qvid lucratus fuiſſe in percipiendo illud plus, qvia æqvivalens*

F imò

imò majus ſubiit pro eo. In qvâ ego diſputatione iſtud maximè deſidero, qvod animi hominum diverſimodè ſe habeant, dum alius alio timidior, alius avarior alio, alius porrò ad lites intentandas pronior alio exiſtit, ut adeò difficile ſit, univerſali aliqvâ definitione rem iſtam expedire. Qvi avarus eſt, nunqvam non timebit futuros eventus, & qvi rixoſus eſt, vix unâ aliqvâ præviâ interpellatione privatâ litem movebit. Qvatenus igitur affectibus aliqvis ſuccumbit, eatenus periculum ſibi finget aut non finget, & eatenus etiam conſcientiæ ſuæ moderabitur, & ſic facilius alius plus ſtipulabitur alio, non ſatis attendens, unde ſibi hic metus proveniat, & num juſtis ex cauſis eum conceperit. Add. qvæ diximus ſupr. *n.25.*

LVIII. Cæterùm qvia negociatiationis hæc eſt natura, ut aliis inſerviendo lucrum aliqvod qværat, lucrum autem non ſemper neq; ex omnibus mercibus capiatur, ſed qvandoq; damnum haud leve emergat, vitio non erit vertendum mercatoribus, ſi, qvas habent, facultates non relinqvant ocioſas, ſed perpetuæ negociationi impendant, tùm ut aliunde compenſetur damnum iſtud, qvod hîc & nunc emergit, tùm ut ne deficiat negociatio. Qvod ſi igitur alterius facto lucrum ſperatum intervertatur, uti qvidem fit, ſicubi in diem dilata fuerit ſolutio, iniqvum non eſt, in vim compenſationis aliqvid præſtari ultra verum & juſtum rei precium, atqve id ut ab initio contractûs æſtimetur, inqve ſtipulationem veniat, naturæ contractꝰ non eſt adverſum. Qvanqvam enim dubium adhuc ſit, utrum ex pecuniâ eâ, ſi de præſenti ſolveretur, lucrum aliqvod habere poſſit venditor, cùm fieri qveat, ut vel damnum ſentiat, vel ſaltem nihil omninò lucretur, ſufficit tamen negociationem ad lucrum faciendum eſſe ordinatam, & probabiliter lucrum inde ſperari. Qvanqvam etiam plurimi in eâ ſint ſententiâ, non valere taxationem antecedaneam ejus qvod intereſt, qvoad illud non apparuerit, niſi fiat ſuper intereſſe certo, qvod ſit correſpectivum alicui certo lucro; inter qvos etiam eſt Scaccia *de commerc. §. 1. qvæſt. 7 part. 2. ampl. 8. n. 27. 32. ſeq.* & Canoniſtæ communiter, ex ea ſcil. ratione, qvia ejuſmodi conventio facta videatur in fraudem uſurarum; in Rep. tamen difficile erit, extra caſum dictum taxationem τοῦ intereſſe futuri prorſus rejicere aut interdicere. Cum enim probatio ejus, qvod intereſt, admodum operoſa ſit, & propterea plerumqve condemnatio ad exiguam ſummam deducatur, *l. fin. ff. de ſtipulat.*

prætor-

Digitized by Google

prætor. atqve hinc damnum probanti oriatur; debitori etiam diuturnitate proceſſus admodum moleſta ſit, imò etiam acerba qvandoq; & exitioſa, qvod legitimum uſurarum modum excedere poſſit *l ult. ff. de peric. & comm. rei vend.* ſatius erit, moderatam aliqvam ejus qvod intereſt taxationem illicò ab initio contractus permittere, qvàm Remp. continuis qverelis & vitilitigationibus gravere atqve affligere. Nec igitur in fraudem uſurarum talem conventionem factam dici illicò poteſt, ſed potiùs, ut vexatio & onus difficilis hujuſmodi probationis evitetur. Et in terminis juris naturalis optimè placet, qvod docet Fernandus Vaſqvius *l.6. controv. c.60. n.26.* valere talem conventionem non in vim conventionis, ſed in vim probationis & confesſionis, ita ut integrum ſit debitori probare, non tantum interfuiſſe creditoris, qvantum ab initio convenerat, hoc eſt, ut adhuc integra ſit probatio in contrarium.

LIX. Qvæ diximus hactenus, de Mercatoribus pleraqve intelligenda ſunt. Sed iſta num de aliis etiam venditoribus dici debeant, nunc erit videndum. Breviter: Intereſſe puto, num ex cauſa neceſſitatis rem ſuam qvis vendat, aut ex alia aliqvâ cauſa, fortè qvod rei ſuæ pertæſus habere eam amplius nolit, vel qvod ex precio majus aliqvod commodum ſibi parare animum induxerit &c. Poſteriore caſu, qvi propter dilatam ſolutionem plus ſibi ſtipulatur, ab uſurariâ concupiſcentiâ animum vix retinebit immunem; ſed in priore caſu magis excuſatur, qvi ita contrahit, (ſi modo ita contrahere poteſt, eò qvod venditio neceſſaria moroſos plerumqve & difficilis faciat emptores) cùm, qvantum ejus interſit, paratam accipere pecuniam, nemo non videat. Qvanqvam enim etiam in poſteriore caſu commodi intenti fieri posſit æſtimatio, qvia tamen hæc venditoris non eſt profesſio, ut ex venditione rerum ſuarum ad inſtar negociatoris lucrum acqvirat, & qvæſtum faciat, commodum etiam capere ei non liceat, niſi poſitis mediis & actu jam exiſtentibus, qvæ ad id facere poſſunt, rectius in hâc ſpecie ab æſtimatione ejus, qvod intereſt, abſtinetur. In concurſu tamen creditorum, ubi vendendus fuerit fundus, ad interuſurium reſpiciendum eſſe volunt nonnulli, ut conficiant, ex duobus emptoribus, qvorum alter precium offert minus, ſed in paratâ pecuniâ, alter majus, ſed ſub diſtinctis terminis, poſteriorem hunc præferri non oportere, niſi oblatum ejus precium deducto interuſurio ſuperet pecuniam

 alterius

Digitized by Google

alterius præſentem. Vid. qvæ in hanc rem diſputant Dn. Carpzovius *p.1.conſt.32.defin.41.& part.3.deciſ.175.* Finckelthaus *obſerv. 69*.

LX. Ut igitur tandem aliqvando de Mohatra contractu judicium feramus, neceſſe nunc eſt, applicare ea, qvæ hactenus diximus. Qvod igitur venditionem primam attinet, volunt theologiæ moralis Interpretes Pontificii, non peccare eum, qvi rigoroſo ſive ſummo precio merces ſuas vendit, dum tamen intra latitudinem juſtitiæ iſtud continuerit. Martin. ab Azpilcueta Navarr. *tom.3.c.23.n.91.* Ego propter imbecillitatem humanam, qvæ exactam proportionem mercis & precii definire neqvit, aliqvam latitudinem conceſſi ſupra, ſed eam tamen â dictamine rectæ conſcientiæ conſtringi debere, ſimul addidi. Iſtud dictamen oritur ex regula juris naturalis: *Qvod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, & vice verſâ. Conſideratis igitur circumſtantiis omnibus loci, temporis, impenſarum, laborum, conditione emptoris &c. diſpiciendum eſt â venditore, qvatenus determinandum ſit precium rei â ſe venum expoſitæ, & num ſi ipſe emptoris loco eſſet, precium tale decernere aut dare velit. Hactenus ergò ſimpliciter aſſerere non licet, non peccare eum, qvi ſummo precio merces ſuas vendit. Sed & cum dilatione ſolutionis, qvia talis fit venditio, ſupra expoſui, non aliter licere majus conſtituere precium, niſi intuitu ejus, qvod intereſt, cum admisſione probationis in contrarium. Sicubi igitur eventus docuerit, tantum non interfuiſſe, utiqve plus iſtud, qvod in ſtipulationem venit, ſubſiſtere amplius non poteſt. Et qvi verò hîc intereſſe qveat ex carentia precii debiti, cum ut abſit ſibi, ipſe hoc faciat venditor, dum precium ipſe licet vilius, poſt ſecundam venditionem, ex facultatibus ſuis erogat, ſalva ſibi merce.

LXI. Probè autem obſervandum eſt, caſum in præſenti negocio plerumq; ita formari ab Moraliſtis: petiiſſe aliqvem â Mercatore pecuniam mutuo, mercatorem reſpondere, ſe pecuniam non habere, habere autem merces, qvas creditâ pecuniâ ipſi vendere velit, &c. At verò ipſum hoc contractûs initium pro uſurario habet Dominicus Soto *de juſt. & jur. l.6.q.1.art.2.* *Eandem ob cauſam*, inqvit, *neqve mercator citra notamen uſuræ mutuare ſub eo vinculo poteſt, ut vel totum mutuum, vel partem in mercibus mutuatarius ſuſcipiat, etiamſi juſto precio vendat, dummodo ille reverà mercium non egeat, ſed cogitur emereratione mutui, qvoniam obligatio illa emendi æſtimabilis*

eſt

Digitized by Google

eſt pecunia. Immò inde lucrum mercatori obvenit. Nam licet merces tantum at, majorem tamen copiam vendit, qvam vendidiſſet, &c. Initium contractus Mohatræ dum non ſatis benè ſe habet, qvid dicendum erit de ejus connexitate & totâ compagine?

Qvod retrovenditionem attinet, ſupra recenſui, qvâ ratione eam faciant Moraliſtæ. Alii qvidem intendi eam non debere, alii intendi qvidem eam poſſe, ſed non ſub precio infimo, alii nec id qvidem nocere contendunt. Etſi verò gravius peccet ille qvi ab initio eam fovet intentionem, ut vilius redimere velit, qvod carius vendidit, ut proinde negociatio iſta latrocinii genus maximè execrandum non iniqvè dicatur Didaco Covarruviæ *l. 2. var. reſol. c. 3. n. 6. in f.* non tamen excuſari poteſt, qvi merces ſuas creditâ pecuniâ carius vendit, absqve intentione viliùs reemendi, mox verò in paratâ pecuniâ easdem reemit precio viliore. Ut maximè enim qvisq; rerum ſuarum moderator ſit & arbiter, nec prohiberi poſſit rem â ſe cariùs emptam viliori precio revendere, ut proinde reprehendi neqveat, vel contractus, vel ipſe etiam emptor, qvi viliore precio rem iſtam ſibi comparat; reprehendendus tamen eſt ille Emptor, qvi antea eandem rem eidem ſuo venditori cariùs vendidit. Unde facere non poſſum cum Philippo â SS. Trinitat. qvi *in 2. 2 tr. 2. diſp. 8. qvæſt. 77.* non apparere contendit, cur mercator ille debeat eſſe deterioris conditionis, qvàm alii in ſecunda emptione mercium. Enimverò multum intereſt, cum qvo agas. Et poteſt faciliùs vitium contrahere contractus, ubi veluti in ſeipſum redit, qvam ubi in plures perſonas diffunditur. Ipſe etiam, qvi primus vendidit ignarus eſſe neqvit ejus, qvod ab Emtore ſuo agitur. Ex qvo enim merces antea â ſe venditas viliore precio reemit, eo ipſo, niſi qvid aliud intervenerit, animadvertit, venditorem hunc ſuum non tàm mercibus indiguiſſe ſive ad uſum, ſive ad lucrum faciendum, qvam pecuniâ numeratâ. breviter: junctis omnibus, qvæ aguntur, apparet, mutuum magis ab eo intentum fuiſſe, qvàm emptionem & venditionem, & hanc non aliter, niſi qvod ſine eâ mutuum contrahi non potuerit. Utiq; nihil aliud agit, qvi ita emit, qvàm ut pecuniam hoc pacto eliciat. Id igitur intelligens magno ſi vendat cum intentione redimendi, jam in ipsâ intentione, uſuræ omnibus Canoniſtis exoſæ reus eſt; ſin autem ſerius propoſitum Emtoris animadvertit, tunc ſc. cùm ille offert merces redimendas,

cum redimit, fœnoris crimen haud dubiè contrahit. Id enim volens agit, ut pecunia ſua ab iſto homine fœnori accipiatur. Agnoſcit id Martinus ab Azpilcueta Navarr. *d. l.* ubi dicit, *non decere venditorem denuò emere à ſe vendita, etiam juſto precio minore illo, qvo vendidit, ne pro iniqvo mercatore vel uſurario palliato habeatur; eumq́, infamiæ periculo probabili ſe exponendo peccare.* At hoc viciſſim ad ſolum Mercatorem reſtringit Andreas Victorelius *ad Franciſci Toleti inſtructionem Sacerdot. lib. 5. c. 31.* Qvaſi verò qvod mercatoribus probroſum eſt, honeſtum qveat eſſe aliis. Imò verò in emptionibus & venditionibus id potius tenendum eſt, minus convènire aliis, qvod Mercatores non decet, cum his propter perpetuas negotiationes permitti debeat aliqvid amplius. Qvod ſi præceſſerint tractatûs de mutuo contrahendo, fortius inde colligere licet, contractum iſtum, qvem poſtea ineunt partes, eſſe uſurarium, per ea, qvæ habet Franciſcus Zoannettus de *empt. & vend. n. 62.* præſertim ſi pactum de revendendo intervenerit. Ex hoc enim & modicitate precii magnam oriri fraudis ſuſpicionem tradit idem Zoannettus *d. l. n. 46. ſeq.* Joh. Vincent. Honded. *vol. 1. conſultat. 33.*

LXIII. Cæterùm plurimi ſunt in eâ ſententiâ, non pugnare qvidem talem contractum cum lege juſtitiæ, ſed tantùm cum lege charitatis, & peccare qvidem taliter contrahentem, ſed ad reſtitutionem non teneri. Leſſius *l. 2. c. 21. d. 16.* Azpilcueta *d. l.* Ego verò, qvî in genere morum juſtitia charitati opponi poſſit, non ſatis capio. Utriq; enim neceſſe eſt, ut hîc intelligatur juſtitia interna, non ea tantùm, qvæ in foro externo apud judicem obſervatur. Atqvi juſtitia iſta interna iisdem legibus ſuccumbit, qvibus ſuccumbit charitas. Qvod enim prohibet charitas, prohibet etiam juſtitia; nec adeò juſtum qvid eſſe poterit, qvod repugnet charitati. Utraqve communi naturæ præcepto gubernatur: Qvod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Huic ſi qvid adverſum peragitur, & juſtitiam offendet, & charitatem. Ut non videam, qvomodo in foro interno oppoſitivè ſejungi iſta duo â ſe poſſint. Et qvotidianum tamen hoc eſt Moraliſtis, iis ipſis in caſibus, in qvibus conſcientiæ tribunal adornant.

LXIV. Qvæ ſupra num. XXXIV. pro defenſione hujus contractûs adducta ſunt, facili negocio concident, ſi non hanc vel illam contractûs partem, ſed ipſum totum totius negocii complexum, uti

par

Digitized by Google

par eſt, conſideremus. Res enim morales expendi ita non licet, ut fruſtratim diſcerpantur, & qvod de partibus fertur judicium, idem de toto habendum ſit, ſed imò cum omnibus circumſtantiis conſiderare eas oportet, & tùm demùm de bonitate aut malitiâ earum judicare convenit. *Illo modo,* inqvit Wilhelmus Wendrockiꝰ *in Ludov. Montalt. Epiſt.8.not.3. qvæſierim, qvid criminis habeat, manu tangere rem alienam? qvid criminis habeat, manus claudere poſtremo aufugere? Sejunge has actiones, ſeparatim innoxiæ ſunt; conjunge, furtum inde coaleſcit. Sic nec ſceleratum eſt, vendere merces, nec ſceleratum emere: ſed hæc duo, ſi jungas, ut inde fiat, dari centum aureos adoleſcenti, & ab eo accipi nomen centum qvinqvaginta aureorum, tàm certum eſt fœnori dari pecuniam à mercatore, qvam certum eſt, ab adoleſcente fœnori ſumi.* Exemplum autem adductum non magis facit ad ſtabiliendum Mohatræ contractum, qvàm ſi qvis ex iis, qvæ per accidens fiunt, eſſentiam rei indagare velit. Titius enim merces ſibi non emit in eum finem ut vilius vendat, multo minus, ut palliatum contrahat mutuum. Cajus non ideò reemit viliore precio, ut lucrum inde faciat, ſed ut indemnem præſtet ex parte priſtinum ſuum emptorem, qvalem profectò finem non habet, qvi ad Mohatram vendit. Et ergò exemplum iſtud Mohatram contractum non exprimit.

LXV. Adſcribam judicium Caroli Molinæi *ex tractat. de uſur. c.14. Et maximè*, inqvit, *contrà illos improbos Mercatores* procedere poſſunt judices *qvi nolentes indigenti mutuare, neqve reditum ad rationem beſſis uſuræ emere, eò qvod non qvantum cupiunt lucrarentur, velut admota nec miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo, vendunt merces longè ſupra juſtum precium prætextu modicæ dilationis precii, accepto interim idoneo fide juſſore vel tutâ cautione, eaſdemqve merces per ſe vel vicariâ manu per interpoſitos ſuæ cupiditatis adminiſtros, vel etiam ejuſdem artis & fraudis conſortes invicem in hâc piraticâ exercendâ præpoſitos, mutuaſqve in id operas libenter præſtantes mox viliſſimo precio redimunt, deinde aliis juſto aut cariori precio revendunt: tripliciter peccantes; & ſuperfœnerantes ſuper eâdem merce & eodem ferè tempore. Et hanc barbaricam deprædationem ſuaves illi homines non uſuram vocant, ſed mercantiæ curſum & fortunam. Sed verè ſcelus eſt & neqvitia plus triplo uſura gravior & deteſtabilior. Nemo enim vera & formali uſurâ damnificatur, niſi poſt longum intervallum & diutinum pecuniæ uſum, & adhuc*

ſemper

ſemper facultatem habet debitor ſolvendo liberari a [illegible] & maturè ſol-vendo modicum aut nullum ſentire damnum; ſed illa arte piraticâ ab illis nequiſſimis inventa, ſtatim & abſq; remedio pauper damnificatur & deprædatur. Et (qvod indignius eſt) hanc nequitiam ut plurimum exercere ſolent in conſtitutos in anguſtiâ & repentinâ aliqva clade aut miſeriâ afflictos, tantoq; audacius & crudelius, qvanto promtæ pecuniolæ ſubſidio pauper magis indiget: non minus miſeria & clade alienâ in ſua nequitiæ compendia abutentes, qvàm barbari illi totius humanitatis hoſtes, qvi naufragio ejectos deprædantur &c. Hactenus Molinæus. Rectè igitur legibus Caſtellæ totus hic contractus eſt prohibitus ſub pœnâ perditionis officiorum & 5000. dupondiorum, uti refert Sig. Scaccia *de commerc.* § *1.q.1.n 566.*

LXVI. Et ſic qvidem ſe habet contractus Mohatræ, qvando ſc. qvis eidem ſuo venditori eandem rem viliore precio revendit. At qvando aliqvis merces emit â mercatore pecuniâ creditâ, easq; ſtatim non eidem mercatori ſed aliis revendit, Itali *baracollam*, Hiſpani *barattam* dicunt. Scaccia *d.l.n.*567. Hiſpani enim *baratarſe las mercadurias* dicunt, qvando qvis mercibus vilius precium imponit. Id enim Italis dicitur *rauuiliare le mercanzie, cioè, venderſi a manco prezzo.* Laur. Franciosini *in Vocabular.* Iſtum contractum non eſſe illicitum dicit Scaccia *d. l.* Rectè, non enim amplius unus eſt contractus, nec in circulum redit, uti prior Mohatra, ſed in plures jam diffunditur perſonas, & ex hoc ipſi contractûs multiplicantur Id tamen in eo reprehendendum redit, qvod ſummo precio vendere rem licere præſupponit, de qvo jam egimus ſupra. Ab hoc *baratandi* verbo natum eſt, qvod crimen repetundarum *barataria* qvibusdam dicatur, qvaſi pecunia cum juſtitiâ baratetur i.e. commutetur. Tiber. Decian *tr. crimin. l. 8. c. 33. n. 9.* Jac. Menoch. *de A. J Q. caſ. 342. n. 18.* Sed iſta jam alterius ſunt diſqviſitionis. Nos hic finimus, & DEO immortali immortales agimus gratias.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google